DE

PRINCIPIIS COGNITIONUM HUMANARUM

SEU

METAPHYSICES ELEMENTA

I. ANDREAE ABBÀ

in Regio Taurinensi Athenaeo

LOGICES ET METAPHYSICES

PROFESSORIS

ATQUE TH. COLL. SOC.

AUGUSTAE TAURINORUM

EX TYPOGRAPHIA REGIA

1829

Non potest religio a sapientia separari.

LACTANTIUS.

PRAEFATIO

I. Altera laboris mei pars, gratis semper Excellentissimi Rei Litterariae Magistratus auspiciis aeque faventibus, in lucem prodit, Lectissimi Adolescentes. Agit ipsa de *principiis demonstrationum*, soletque *Metaphysica* nuncupari, quod vocabulum *ultra*, vel *post Physicam* significat, eo quod ejus objectum sint *res ab omni materia segregatae* (1).

---

(1) Ex recentioribus nonnulli eam appellant *Protologiam* : alii *scientiam causarum*, vel *rationum rerum* : alii scientiam *possibilis* : alii *theoriam scientiarum* : alii scientiam *absoluti*, et *inconditionalis.* Alii cum Fichte, *scientiam scientiarum.* Unde sequitur, eamdem ad alias scientias facilius ediscendas inservire, et ad refellendos impios religionis hostes iisdem armis, quibus ipsam impetunt, nempe ex primis principiis rationis, quam unam se revereri profitentur. Quoniam autem tum in omni scientia, tum praesertim in rationali nullus est progressus, nisi prius rationis ipsius firma sint jura ; haec ex Aquinate deprompta iis addimus, quibus in Logica legitimam hujus facultatis auctoritatem constabilivimus - *Homo ad cognitionem veritatis pertingit dupliciter : uno modo per ea, quae ab alio accipit . . . . . Alio modo necessarium est quod adhibeat proprium studium : et sic requiritur meditatio.* Q. 180. a. 3. ad 4. - *Omnis cognitio veritatis est quae-*

II. Principii demonstrationis nomine intelligimus illud omne, a quo initium demonstrationis ducimus. Hinc quodvis experientiae *datum*, aut *objectum singulare* potest esse demonstrandi principium. Complexus omnium, quae a principio tamquam connexae conclusiones descendunt, *theoria* dicitur.

III. Hisce principiis, abstrahendo ascendimus ad enunciata generalissima (1), quae omnium demon-

---

dam irradiatio, et participatio legis aeternae . . . . Veritatem autem omnes aliqualiter cognoscunt, ad minus quantum ad principia communia legis naturalis. 1. 2. q. 93. a. 2. *Quantum ad principia communia, lex naturalis nullo modo potest a cordibus hominum deleri in universali.* 1. 2. q. 94. art. 6. - *Lumen naturale animae inditum est illustratio Dei, qua illustratur ab ipso ad cognoscendum ea, quae pertinent ad naturalem cognitionem: et ad hoc non requiritur alia illustratio.* 1. 2. q. 109. a. 1. Vide etiam Metaph. lib. 4. lect. 6.

(1) Haec generalia principia a quibusdam *monogrammata* dicuntur, suntque scientiae compendia, et veluti ejusdem nucleus, aut ipsa scientia ad ultimam *expressionem* redacta. Erat autem hoc nomen *principii* rite determinandum; animadvertit enim Degerando, nihil magis obscura reddidisse philosophica Graecorum systemata, quam vaga hujusce nominis potestas; modo namque significat apud eos prima elementa materialia: modo primas causas: modo primas leges. Scientia quae agit de principiis eo spectat, ut statuat basim cognitionum humanarum. Hae autem circa humanae scientiae basim maxime celebres ab instauratione fuere doctrinae: Baco Verulamius scientiae basim dedit *experientiam*, et *inductionem*: Lockius *sensationem*, et *reflexionem*: Hobbesius, Gassendi, Condiliacus unam *sensationem*: Cartesius *actum ipsum cogitationis*: Leibnitius *axiomata rationalia*, quorum auctoritatem restituit, eaque reduxit ad principium *contradictionis*, et

strationum initia esse possunt. Principia isthaec appellamus *enunciationes evidenter veras*, *quae omni-*

---

rationis sufficientis: impius Spinosa revocavit *identitatem absolutam* Eleaticorum: Berckeleyus unam consuluit *reflexionem*: Humius dubia movens circa connexionem effectuum cum causis, posuit *adsociationem idearum*: Scoti quaedam intellectus *facta primitiva*. Kant quaesivit utrum haec basis possibilis sit, et in suo Criticismo post omnium systematum censuram, simulque affectatam oppositarum sectarum philosophicarum conciliationem, eam basim reponendam duxit in *subjectivis formis naturalibus intellectus humani*; sed dum ipsam existentiae basim a *priori* stabilire nititur, omnem rejiciendo Empirismum, Germanicas scholas ad Idealismum traduxit. Nunc autem, ut animadvertit Cousinius, sicut Sensualismus a Lockio ad Condiliacum; ita Idealismus a Kantio ad Fichte suum integrum curriculum emensi, pleneque evoluti in Ecclectismum tendunt, veteraque renovantur phaenomena, quum post plene evolutam Graecorum Philosophiam, Ecclectismus Alexandrinus extitit. Ita est: multae veritates, quae recentia inventa habentur, illa sunt, quae Leibnitius *inventa nova antiqua* dicebat. Sic Baco, et Aristoteles pari ingenio scientias disponunt, iisdemque eas subjiciunt legibus: Cartesii, et Heracliti par fuit initium, et progressio a dubio ad affirmationem; Heraclitus enim, ait Diogenes Laertius, caepit dicendo se nihil scire, desiitque affirmando se scire omnia. Haec duo extrema se tangunt. Ut Epicurus, ita Hobbesius ad materialia elementa adduxerunt omnes ideales complexiones: Plato, et Leibnitius pari studio rationi suam energiam restituere conati sunt, qui postremus Pythagoricas Monades revocavit. Pyrrho, et Baylius unanimes pugnant contra omnem affirmationem. Aristippus, et Humius pari conatu adversantur omnibus principiis absolutis. Parmenidis, et Spinosae similes sunt nisus in dandis existentiae legibus fallacibus. Zenonis Cyttici, et Lockii eadem est doctrina in explicanda idearum generatione. Chrysippi, et Condiliaci studium idem est in evolvenda suorum Magistrorum doctrina. Sic etiam, quae recentiora dicuntur systemata, a veteribus descendunt. Lockianum v. g.

bus veritatibus demonstrandis inserviunt. Haec alio vocabulo dicuntur *axiomata*: pertinent ad omnium hominum rationem, proindeque *principia rationalia* appellari posse videntur.

IV. In qualibet autem propositione vera, vel attributum *necessario* connectitur cum subjecto, vel connectitur *contingenter*. Hinc duplex veritatum ordo, *necessariarum*, et *contingentium*. Quare duo poni posse videntur generalissima pro duplici hoc ordine veritatum demonstrandarum principia; unum *contradictionis*, alterum *rationis sufficientis*.

V. Illud dicitur principium contradictionis, quia quum attributum essentialiter cum subjecto conveniat, si contingere posset, ut non conveniret, hoc involveret contradictionem; conveniret enim, simulque non conveniret. Istud rationis sufficientis appellatur, ex eo quod, quum attributum necessario non conveniat cum subjecto, cum quo tamen convenire cernimus, praeter essentiam subjecti esse debet ratio sufficiens illius convenientiae.

VI. Ex ipsa notione principii omnium generalissimi fluunt ejusdem conditiones. 1. Est ut sit per

---

per Gassendi ad Baconem, inde ad Campanellam, et Occamum, ex quo ad Socratem Analysis inventorem ascendit. Methodica dubitatio in Platonis scholam dominata est. Hobbesiani, et Elvetiani systematis elementa reperimus in Epicuro, Gorgia, etc. Veteres aliquibus fortasse conceptibus, nos methodis praestamus. Hinc Philosophiae cultorem Cousinius in Graecae sapientiae studio enixe, multumque incumbere jussit.

se certissimum, et evidens. 2. Ut ab alio non derivet, sed ipsum sit omnium primum. 3. Ut non possit demonstrari. 4. Ut per ipsum ceterae veritates omnes demonstrari possint. His praestat principium contradictionis, ad quod alterum rationis sufficientis etiam refertur (1); nam 1. est certissimum, et evi-

---

(1) Ad ipsum principium contradictionis refertur etiam principium *identitatis*; quemadmodum ad principium rationis sufficientis revocatur lex *continuitatis*, qua asseritur *nihil naturam peragere per saltum*, quae sunt praecipua generalia principia, quibus suum Rationalismum inaedificat Leibnitius. His autem ne quis abutatur in veritatis, scientiaeque detrimentum, eo praetextu, quod generalia principia rationalia sint, nonnulla sunt animadvertenda. 1.° Quamvis scientiam jam pene creatam, et constitutam tradendo liceat ab hisce principiis tamquam nucleis derivare; in his tamen, quum de scientia conficienda agitur, ubi unice se claudit Rationalismus omnia rejiciens experientiae facta, scientiam omnem evertit, eamque impossibilem reddit. Haec enim principia: *quod est est*; *impossibile est idem simul esse, et non esse*, huic respondent: *dato aliquo objecto*, *impossibile est*, *idem non esse*; unde patet, ea principia non habere nisi logicam necessitatem, eaque foecunda evadere per applicationem ad experientiam, cujus *data*, si rejiciantur, impossibile est ad realem cognitionem pervenire; tantum abest, ut iisdem (abstrahendo ab omni experientia) omnia possint demonstrari. Qui enim, abstrahendo ab omni facto, demonstrare nititur a *priori*; suae theoriae principium ponit in *vacuo*. Hinc 2. tendit hujusmodi rationalismus ad *identitatem absolutam*. Quum enim incipiat scientiam a principio *identitatis*, cujus totidem transformationes sunt propositiones seriei scientificae, ultimo perveniet ad substantiam aeternam, necessariam, identicam, ut Eleatensibus, Jordano Bruno, Spinosae, Kantiique discipulis contigit. Hinc etiam 3. desinit, ut patet, in idealismum; nam principia quibus inhaeret solum repraesentant relationes cogitationum nostrarum, non rerum existentiam: sunt formulae

dens ; negari enim nequit, nisi ipsum negatione ipsa affirmetur ; nam qui negat hoc principium, ideo negat, quia putat ipsum esse falsum, ac proinde idem simul esse non posse verum. 2. Est primum omnium quia enunciatio quaelibet est necessario vera, vel

---

logicae, non leges metaphysicae. Profecto idealistae omnes semper a rationalismi puri principiis caeperunt. Quod si rationalistarum aliqui idealismum rejiciunt, suis principiis valedicere tenentur, vel uti arbitrariis hypothesibus, ut Cartesius, Leibnitius Kant. 4. Denique incidit in scepticismum, ut patet ex num. 1. hujus notae : quid igitur ? Num omnis doctrina speculativa est inutilis ad progressum scientiarum ? Sed quomodo in hac hypothesi possumus sterilem empyrismum effugere? Quo jure a factis particularibus leges constantes, et universales deducentur? Quin etiam ipse novus empyrismus interrogat quomodo *experimentalista* ab una experientia ad aliam concludere possit, quae non est identica? Quomodo duo facta connectantur ? R. Non esse inutilem positis veritatibus, seu factis primitivis, ad quae, applicatis principiis syntheticis, haec foecundissima evadunt, experimentis, factisque connectendis mirifice inserviunt in scientiarum incrementum, sic v. g. posito hoc facto indemonstrabili *sentio*, tamquam basi, veritates aliae inde demonstrantur. Positivum hoc factum est veritas primitiva, quae sentitur, non autem demonstratur. Sicut primus catenae annulus non connectitur cum alio, alioquin primus non esset, isque est admittendus, ut alii annuli consequentes, et connexi existant ; ita primum demonstrationis principium non potest probari. Ostendant philosophi quinam sint primi, et constantes cujusque catenae cognitionum nostrarum annuli, et quomodo haec catena sit construenda (quorum illud ad Metaphysicam, istud ad Logicam spectat). Hoc unum est ad scientiam necessarium, et ad duo extrema vitanda videlicet scepticismum et dogmatismum, absolutum dubium, absolutamque affirmationem, qui sunt oppositi scopuli scientiae rationalis.

falsa, et ratio prima hujus falsitatis, aut veritatis, est quia veritas, et falsitas sunt contradictoriae. 3. Si est primum, nequit demonstrari ab alio. 4. Hinc patet ipsum reliquis demonstrandis inservire.

VII. Hoc principio proxime innititur theoria entis, omniumque notionum abstractarum, quae valde generales sunt, atque cuilibet possunt rerum generi applicari. Constituitur inde *Metaphysica generalis.* Ubi autem ad peculiarem rerum ordinem applicantur, *Metaphysica specialis* existit.

VIII. Quod universalissimum in rerum ordine habetur, est *ens in genere.* Peculiares ordines entium, quorum existentia est determinata, sunt *spiritus*, et *materia*, ad quae, praemissis notionibus maxime generalibus entis, ita progrediemur, ut 1. nos ipsos contemplemur, praesertim *animam humanam.* 2. E nobis exeuntes, personalitate constituta, mundum, qui extra nos est, et a nobis distinctus, licet cum ipso communicemus, considerabimus. 3. Ex utroque tamquam ex effectu ad causam assurgemus, ac luminibus ex universa natura veluti collectis, Deum sublimissimam cognitionum nostrarum metam spectabimus.

IX. Omnis igitur tractatio isthaec circa duo versatur nempe circa *me*, et non *me*, atque in transitu ab uno ad aliud ipsorum, sic tamen ut 1. de ente in genere, ipsiusque proprietatibus, tum de nobismet ipsis, dein de mundo, tandem de Deo disseramus duplici institutione quarum prima erit de Metaphysica generali, altera de Metaphysica speciali.

INSTITUTIO PRIMA

DE METAPHYSICA GENERALI.

1 Metaphysica generalis, quam *philosophiam primam* dixere Baco, et Cartesius, nos *Ontologiam*, est *sermo de ente.* Objectum enim ejus est *ens generatim spectatum cum suis proprietatibus in abstracto consideratis*, et prout est universale cognitionum principium, convenitque cum omnibus, et singulis rebus, quae nobis cognitae esse possint. Nos igitur in Ontologia 1. de ente in genere agemus. 2. De entis natura, unitate, veritate, bonitate. 3. De entium speciebus. 4. De entium viribus. 5. De entium relationibus. 6. De entium perfectione, ordine, et pulchritudine.

CAPUT I.

DE ENTE IN GENERE.

2. Ens est *quidquid possibile*, *vel existens est.* Ergo excludit id omne quod possibilitati, vel existentiae opponitur, quodque solet *nihilum* appellari.

Hoc proinde vel adversatur possibilitati, vel existentiae. Primum est nihilum proprie dictum, idemque est ac impossibile. De hoc nihilo haec sunt axiomata: *ex nihilo, et a nihilo nihil fit: nihili nullae sunt proprietates aut actiones, aut passiones.* Alterum est nihilum improprie, quum sit ens in statu possibilitatis, et abstrahendo a sua existentia consideratum.

3. Hinc intelligitur cur creatio sit possibilis, licet ipsa dicatur eductio entis a nihilo. Est enim traductio entis a nihilo existentiae, seu a statu possibilitatis ad physicam existentiam.

4. Si ens est quidquid possibile est, vel existens; ergo quod in eo primum concipitur est ipsius *possibilitas.* Illud possibile dicitur, cujus notae essentiales sibi invicem non opponuntur, quodque ab aliqua causa potest fieri existens. Possibile ob notarum convenientiam dicitur *intrinsecum*: possibile ob causam, quae, quod non repugnat ad existentiam traducat, dicitur *extrinsecum.* Illud igitur *est habilitas ad existendum ob notarum essentialium consensionem* - Istud *est habilitas ad existendum ob virtutem causae producentis.* Hinc 1. nulla possibilitas extrinseca sine intrinseca. 2. Debet necessario existere aliqua causa, quae quod possibile est, libere traducere possit ad existentiam. 3. Possibilia cum sint infinita, causa isthaec debet infinita vi pollere.

5. Cartesiani putant omnem possibilitatem ab unâ Dei omnipotentiâ esse repetendam, et quaerenti *cur aliquid sit possibile?* Respondent: *unice, quia Deus*

illud efficere potest. - Alii autem eidem quaestioni respondent : *ideo aliquid est possibile , quia notae ipsius essentiales non repugnant , unde sequitur ut Deus ipsum efficere possit.*

6. Postremi suam sententiam confirmant 1. ex eo quod possibilia sint aeterna , immutabilia , necessaria ; sit autem mutabile, atque contingens, quod ab alterius pendet voluntate. 2. Quia si aliquid naturâ suâ possibile non esset, verum posset evadere falsum, possibile reddi posset impossibile. 3. Si unica ratio cur aliquid existit est divina omnipotentia ; unica etiam ratio , cur aliquid non existit erit , quia illud ipsum , licet non sit intrinsece impossibile , Deus efficere non potest. Quod esset divinam omnipotentiam circumscribere.

7. Cartesianis autem urgentibus , 1. sublatâ Dei omnipotentiâ, omnem tolli rerum possibilitatem: 2. idem esse , aliquid esse possibile , idque ipsum a Deo fieri posse : 3. intrinsecam possibilitatem , si admitti posset , fore aeternam , nihil autem praeter Deum esse aeternum posse ; quae sequuntur respondent possibilitatis intrinsecae patroni.

8. Ad 1. sublatâ (per hypothesim impossibilem) Dei omnipotentiâ , tolleretur externa rei possibilitas ; at semper verum esset , convenire quae conveniunt , v. gr. non repugnare circulo rotunditatem. Ad 2. aliquid esse possibile tum intrinsece , tum extrinsece idem quidem significat , ac fieri a Deo posse ; non tamen idem est , si res tantum concipiatur interne possibilis. Nam quum cogito bis duo efficere quatuor,

id verum est, etiam abstrahendo a Divina omnipotentia. Ad 3. possibilitas intrinseca est aeterna, quia Divinus intellectus ab aeterno intellexit, esse possibile illud, cujus notae essentiales sibi invicem non repugnant. Quae aeternitas est rei in statu logico, et ideali existentis, non vero substantialis existendi ratio, quae soli Deo ab aeterno convenit.

9. Possibili adversatur impossibile, sicut nihilum proprie dictum opponitur enti. Est autem impossibile vel *absolutum*, vel *relativum*, sive *hypotheticum*. Primum dicitur etiam impossibile *metaphysice*; quod nempe ob notarum repugnantiam involvit contradictionem, ut *rotunditas*, et *quadratura in circulo*. Hinc principium contradictionis: *impossibile est idem simul esse, et non esse.* Alterum est quod alicujus potentiae vim superat, licet a fortiori vi produci possit. Quod si nullâ creatae naturae potentiâ aliquid effici queat, id vocatur naturaliter, seu *physice* impossibile, uti *mortui resurrectio*. Inde effectus naturales, et supernaturales. Siquid valde sit difficile, quin aut metaphysice, aut physice sit impossibile, illud *moraliter*, seu tantum servatis morum humanorum legibus, impossibile dicitur, ut *optimum parentem a probo filio determinate confodi*.

10. Ex notione possibilitatis patet, hanc esse *essentiam* entis generatim spectati. Nam entis essentia illud est, quod primum in ente concipitur, et quo non posito ens impossibile diceretur; hujusmodi porro est entis ipsius possibilitas. Quum autem rei possibilitas sit aeterna, immutabilis, necessaria; exploratum

inde fit, rerum essentias esse aeternas, immutabiles, necessarias per hoc principium: *quod est, est.* Sed intellige aeternitatem, immutabilitatem, et necessitatem logicam.

11. Si entis generatim spectati essentia est in ejus possibilitate, entis autem possibilitas ab ipsius existentia differt ut idealis rei status a statu physico ejusdem; sequitur etiam, essentiam ab existentia differre; quod insuper patet ex eo quod quaestio *quid res sit?* differat a quaestione: *an res sit*? Praeterea quidquid existit possibile est, non viceversa. Quare possibile est vel *existens*, vel *non existens*. Illud *actuale*, et *reale* dicitur; hoc *notionale*, seu *ens rationis*, aut etiam *potentiale*. Si potentiale determinatur ad existendum, dicitur *futurum*.

12. Sed animadvertere juvat, *reale* dici a Metaphysicis illud omne quod opponitur *defectui*. Hoc sensu ens quodcumque in statu etiam mere intelligibili est reale, quia realis est idea, et conceptus quem de ipso habemus. Idcirco quum reale notionali opponunt, hoc intelligunt, videlicet ens aliud esse mere possibile, aliud existens. Si realitas in ente conjungitur cum defectu, est *limitibus donata*, secus est *absoluta*. Utraque possibilis est, quum sit ens (1).

---

(1) Adverte, quaedam esse aliquando vocabula, quae defectum notare videntur, quum positivum aliquod reapse significent, ut v. gr. vocabulum *infinitas*, quod non realitatum, sed defectuum absentiam designat.

13. Quum autem quaecumque realitas excludat negationem, sequitur 1. quidquid realitati in se spectatae contradicit, esse vel defectum, vel realitatem cum defectu conjunctam; 2. omnes realitates absolutas in eodem subjecto intelligi posse, ac propterea, ens omnibus possibilibus realitatibus praeditum, esse possibile; realitas enim absoluta est ens, hoc autem est necessario possibile.

14. Realitas absoluta si est possibilis, ergo existit; quia existentia quum sit etiam ens, debet includi necessario in realitate sine defectu, seu absoluta. Alioquin realitas illa esset absoluta, simulque non absoluta, quod involvit contradictionem. Unde patet, realitati absolutae repugnare non existentiam; ac proinde ipsam esse non posse in statu nudae possibilitatis; si enim *est*; *existit*.

15. Quae in ente seu prout *est*, seu prout *existit* ita concipiuntur, *ut ab eodem abesse non possint*, haec dicuntur *essentialia* ejusdem *attributa*; quaedam ita ipsi inesse intelliguntur, ut eodem incolumi, abesse possint, ac *modi* nominantur. V. gr. in triangulo, tria latera essentiam ejus constituunt, tres anguli, qui essentiam, seu tria latera consequuntur, sunt trianguli attributa essentialia. Quod autem sit Isosceles, vel Scalenum, hoc ad modos ejus pertinet.

CAPUT II.

DE NATURA, UNITATE, VERITATE, BONITATE ENTIS.

16. Ex complexione essentialium entis, ipsius etiam *natura* determinatur. Natura enim entis dicitur ex complexu essentialium, quae in ipso sunt. Sic natura Dei est ex complexu omnium essentialium ejus: natura animae ex complexu essentialium, quibus constat principium cogitans. Quapropter ex entis essentia, ejusdem natura cognoscitur. Multiplicem habet hoc vocabulum (*natura*) significationem, ut alias tradidimus; ex qua vaga nominis potestate multi errores extiterunt.

17. Tam essentia, quam attributa entis essentialia efficiunt etiam, ut ipsum dicatur *unum*. Dicitur enim *unum, quod est indivisum in se, et divisum ab omni alio*. Unitas enti absolute convenit. Quum enim ens ponitur, id omne ponitur per quod ens est id quod est, et non aliud: ponuntur videlicet omnia essentialia, et divisionis essentialium negatio, hoc est unitas essentiae entis, quae si tolleretur, ens esset simul ens, et non ens. Sic ternarius numerus est unus; licet enim tres unitates in eo sint separabiles; tamen iis separatis, haud amplius ternarius concipitur. Hinc essentiae rerum sunt indivisibiles.

18. Sed triplex distinguitur species unitatis: *metaphysica*, *physica*, et *moralis*. Metaphysica omnem omnino collectionem excludit, et dicitur unitas simplicitatis, qualis est substantiarum spiritualium. Haec

est unitas proprie dicta. Physica est conjunctio plurium re ipsa inter se distinctorum, quae tamen unum totum physicum constituunt, ut sunt *singula corpora.* Haec dici solet unitas *aggregationis.* Moralis unitas est collectio multorum, quae licet a se invicem sejuncta sint; ex communi tamen opinione spectantur tamquam unum, ut *exercitus*, *familia*, *senatus.* Est etiam unitas *universalium*, ut *genera*, et *singularium*, ut *individua.* Si individuum sit substantia rationalis, sui juris, sibique conscia, se esse distinctam a re qualibet alia tamquam a causa suae actionis, appellatur *persona.* Ex unitate unitati addita oritur idea numeri, qui est unitatum collectio, unde unitati opposita *multitudo*, et *varietas.* Ex quo quilibet numerus ab alio clarissime distinguatur, derivat illa perspicuitas, qua praestant Arithmeticae demonstrationes.

19. Quaerunt, num *unum*, et *unicum* sint idem. Respondemus, differre. Nam omne unicum est unum, non vicissim; sic *Petrus est unus, non unicus homo.*

20. Essentia rerum metaphysica, et essentialium unitas constituunt etiam metaphysicam entis *veritatem.* Nam per essentiam entis, ejusque essentialium unitatem, ens ipsum est id quod est, seu ens convenit cum iis simul sumptis, quae ipsum *essentialiter* constituunt; atqui in hac convenientia est metaphysica veritas. Hinc ens omne est metaphysice verum. Sed cum ens existat *absolutae*, *seu illimitatae realitatis* (num. 14); ergo existit etiam ens absolutae,

et infinitae veritatis, seu summa, et universalis veritas.

21. Quod est metaphysice verum, est etiam metaphysice bonum. Nam bonitas est complexio attributorum, ex quibus entis integritas constituitur. Atqui ens quodlibet habet necessario hanc complexionem; secus non esset ens. Ergo ens est metaphysice bonum. Dicitur etiam bonum ens, quod habeat omnia, quae ad finem sibi proprium consequendum necessaria sunt. Hinc ajunt, verum aliquid dici spectatum in se; bonum spectari in ordine ad finem. Verum v. g. est aurum, quod habeat omnia essentialia auri; bonum, quod inservit commodis nostris. Ex his patet, bonum, et verum converti posse, et summam veritatem esse cum summa bonitate necessario conjunctam.

22. Quum in ente concipi possit plus, minusve realitatis comparate ad ens, quod habet omnem realitatem sine defectu; hac ratione potest ens dici magis, vel minus verum, aut bonum, prout magis, aut minus habet entis ex hac comparatione. Hinc patet quid sibi velint, qui ajunt, aliquid magis, vel minus contingenter existere.

CAPUT III.

DE SPECIEBUS ENTIS.

23. Ens omne est substantiale, vel modale; necessarium, vel contingens; immutabile, vel muta-

bile ; compositum , vel simplex ; infinitum , vel finitum.

§ I.

De ente substantiali, et modali.

24. Ens substantiale idem est, ac *substantia.* Haec autem , quasi *id quod substat,* est ille *conceptus, quo aliquid ita intelligitur* , *ut non ipsum alteri* , *ipsi autem aliquid inhaereat* , ut homo, lapis , lignum. Ens *modale* , seu *modus* , est *illud quod* , *ut existat* , *alteri inhaerere concipitur* ; ut color , et figura , aliaque similia.

25. Sunt qui unicam substantiam immutabilem , aeternam, immensam, extensione donatam admittunt, cujus totidem modi sint ea, quae sensibus apprehendimus , Monistae idcirco dicti. Sed universali experientia , sensuque communi edocemur, varias esse in rerum natura , distinctas , oppositasque proprietates , quae cum in unam , eamdemque substantiam convenire non possint , necessario concludimus , plures , et distinctas existere substantias , v. gr. , substantiam creatam , et increatam , compositam , seu corpoream, simplicem , seu spiritualem. Neque toleranda Spinosae audacia , dum adversus universalem experientiam impium systema suum pantheisticum , ambiguitate definitionis vocabuli *substantia* Geometriae apparatu super struere conatus est (1).

---

(1) E Cartesii schola profectus Spinosa sensualismi erroribus

§ 2.

De ente necessario , et contingenti.

26. Quemadmodum impossibile illud est, quod repugnat esse (vel absolute , vel relative n. 9); ita *necessarium* illud *appellamus, quod ita est , ut repugnet non esse vel absolute , vel hypothetice* - Necessario opponitur contingens , cujus nomine dicimus *quidquid ita est , ut ejus oppositum non repugnet.* Hinc habetur notio necessitatis, et contingentiae.

27. Ex necessarii , et contingentis definitione patet 1. quod est absolute necessarium, numquam esse posse contingens , necessitatemque absolutam contradictorie opponi contingentiae. 2. Quod absolute necessarium est, non habere initium , neque finem , idemque numquam posse mutari. 3. Essentiam enti necessitate absoluta competere ; posito enim opposito, seu non essentia , ens destruitur ; 4. quidquid enti vi essentiae non competit , si tamen eidem competere intelligatur , contingenter convenire. 5. Si *ens a se* existit, eidem existentiam absoluta necessitate competere ; si *ens ab alio* existit, eidem existentiam contingenter convenire. Nam si ens a se existit, eidem *non existentia* repugnat absolute , quia secus

---

pejores alios idealismi substituit , ac e veteribus revocatum pantheismum jam in Germania vigentem promovit. Perperam ipsius apologiam texere conatur Fr. Schlegel ; quid boni in atheo?

esset, et non esset; esset, ut sibi existentiam daret, quam non haberet ab alio, cum sit ens a se; non esset, ut existentiam acciperet, si eam non semper habuisset. Quare *ens a se* numquam; bene vero *ens ab alio* esse potest in statu nudae possibilitatis.

28. Ens cui existentia est absolute necessaria, dicitur *ens necessarium*; ens cui existentia necessario non convenit, est *ens contingens*. Quare *ens a se* est *necessarium*, *ens ab alio* est *contingens*. Hinc 1. Ens necessarium existit; si enim non existeret, esset impossibile: esset *non ens*, et in non ente ratio esset alicujus *realitatis*, scilicet entis contingentis. 2. Si existit ens necessarium, idem est aeternum. 3. Habet omnes possibiles realitates *illimitatas*. Nam hujusmodi ens est possibile; si est possibile existit: non est autem ens contingens; ergo est ens necessarium; omne enim ens est vel necessarium, vel contingens. Hinc etiam ens necessarium est ens perfectissimum, nullisque aut temporis, aut loci, aut potentiae, aut scientiae limitibus circumscriptum. Unde 4. est unum, secus ab altero circumscriberetur, quod vel par esset, vel impar illi; in utraque hypothesi esset contradictio.

§ 3.

De ente immutabili, et mutabili.

29. Constat ex num. 27 ens necessarium mutari non posse; contingens autem posse mutari; quod

etiam patet ex eo quod oppositum necessarii sit impossibile; oppositum vero contingentis possibile sit. Inde sequitur, omne mutabile esse contingens; omne immutabile esse necessarium; atque ex necessario ad immutabile, et vicissim; ex mutabili ad contingens, et reciproce posse concludi.

§ 4.

De ente composito, et simplici.

30. Ens compositum illud est, quod in plura resolvi potest; ens simplex, quod resolvi nequit. Illud igitur habet partes realiter distinctas, quibus hoc caret. Quapropter licet enti composito, et simplici communes sint notae genericae; contradictoriae esse debent eorum notae specificae. Sic tamen, ut in composito, sint partes realiter, in simplici autem, sint partes ratione tantum distinctae. Unde omne compositum est totum: non autem viceversa.

31. Distinguuntur vero praecipue in eo quod entis compositi essentia sit in partium conjunctione, et coagmentatione; nam hoc unum est, per quod ens compositum intelligitur. Essentia entis simplicis est in *vi agendi*, ut est vis cogitandi, volendi, movendi. Nam haec vis enti convenit, non autem enti composito, cujus essentia est in partium coexistentia, et unione; convenit ergo enti simplici, cum omne ens sit vel compositum, vel simplex. Quapropter entis compositi essentia constat meris accidenti-

bus, uti est partium coagmentatio coalescens ex figura, magnitudine, variisque conjunctionis modis. Hinc nullum compositum est ens necessarium, quod proinde est simplex, et omne compositum est contingens.

32. Quum ens compositum constet ex partibus realiter distinctis; ergo est extensum. Extensum enim dicitur quod *habet partes extra partes positas, et reapse, vel saltem judicio sensuum conjunctas.* Unde patet, omne ens extensum esse compositum, et vicissim; ens autem simplex extensum esse nequire. Quare extensio, et simplicitas pugnant inter se. Extensionis quidam modus est *figura*, quae est *limes extensi.* Cum enim extensum sit compositum, hoc autem non sit necessarium, unde nec infinitum; profecto est finitum, et circumscriptum ad modum extensi, seu in quantitate; nempe figura donatum. Contra vero ens simplex, quum non sit extensum; nec figuram habet. Limites solum habere potest in qualitatibus suis, et gradibus perfectionis. Hujusmodi limites habent omnes spiritus creati.

33. Si extensum constet partibus ita inter se conjunctis, ut alia diversa interponi minime possint, dicitur *continuum*, cui opponitur *interruptum.* Si unum ita alteri proxime vicino coexistit, ut, his motis, aliquid possit interponi, *contiguum* appellatur. Ubi aliquid inter duo entia interponitur, haec duo *distare* dicuntur. Hinc notio *distantiae*, quae mensuratur a linea recta, quae inter duo illa duci posse concipitur. Quae simul coexistunt, *simultanea*; quae

licet non simul coexistant; ita tamen inter se conjunguntur, ut dum unum desinit, alterum incipiat, *successiva* nuncupantur. Successionis idea exoritur ex conscientia perceptionis, quae primae supervenit, cum haec adhuc existeret. Hinc notio entis *permanentis*, et *successivi*. Extensum reale, et physicum limite donatum est *corpus*.

34. Notiones extensionis, figurae, continuitatis, interruptionis, contiguitatis, partiumque simultaneitatis, aut successionis, includunt notionem *spatii*; quo nomine intelligitur *locandorum corporum possibilitas*. Sed hujusmodi spatium non est aliquid reale physice existens. Nam possibilitas omnis, ut possibilitas, est aliquid ideale, et abstractum. Quare hoc spatium erit abstractum aliquid, et absolutum, cum non pendeat a rebus actu locatis. Si non est reale, et existens, ergo nec substantia est. Unde refellitur error asserentium, spatium esse Dei immensitatem, quod etiam alio loco tangemus. Hoc spatium concipitur tamquam necessarium, cui aeternitas, immobilitas, et infinita convenit extensio idealis.

35 Praeter hoc spatium ideale, et absolutum, seu vacuum, et extensionem indefinitam, esse debet aliquod spatium actu, seu extensio determinata, et relativa. Existunt enim corpora, quod adversus Berkeleyum, et Humium, universosque Idealistas, et Scepticos ex sensu communi confecimus in Logica, quod etiam constat ex ideis omnibus, quas numeris 32, et 33 exposuimus; sed corpora existere non possunt nisi in spatio actuali, in quo corpora reci-

piantur, ordinemque constituant seriei simultaneorum continuae physice coexistentium; ergo praeter spatium ideale, et absolutum, est spatium reale, relativum, et existens, nempe *ordo simultaneorum in serie physice continua coexistentium*. Hic inserunt nonnulli quaestionem de vacuo, et pleno, quam nos praetermittimus.

36. Corpora singula suum habent spatium propriis limitibus donatum, et modum determinatum coexistendi comparate ad reliqua coexistentia. Hic corporum existendi modus, qui ex ordine simultaneorum in serie physice continua concipitur, exhibet notionem *loci*. Determinatur autem locus cujusque compositi per distantias, seu per lineas rectas, quae ab aliis ad ipsum duci possunt. Unde patet, ens simplex non posse occupare locum. Nequeunt enim lineae a variis entibus in unum concurrere, nisi ponantur in hoc varia puncta realiter distincta, quod in ente simplice esse non potest.

37. Sicut ex ordine simultaneorum physice coexistentium notio loci; sic ex ordine successivorum in serie continuâ, notio *temporis* (1) habetur. Nam ex

---

(1) *Quid sit tempus*, inquit Augustinus, *si nemo quaerat a me, scio; si quis interroget, nescio*. Ex notionibus *temporis*, et *spatii*, ducebat Clarkius demonstrationem Dei existentiae a *priori*, eo quod haec duo involvant existentiam necessariam aeternitatis, et immensitatis, quae cum sint ambo attributa, supponunt necessariam, aeternam, immensamque substantiam. - Idipsum ferme praestitit Cudworthus (*Systéme intellectuel chap. V*, *sect. III*,

hoc successivorum ordine responderi potest quaestioni: *quandonam, vel quamdiu res quaepiam extiterit, existat, aut extitura sit*? Quemadmodum ex ordine simultaneorum physice coexistentium respondetur quaestioni: *ubinam res sit*? Atque etiam ex succedentium multitudine de temporis diuturnitate judicamus. Hinc quo plurium idearum sibi succedentium intra idem intervallum animus sibi conscius est, eo longius judicat esse suum tempus. - Si series revera succedat, tempus reale dicitur; si tantummodo series concipiatur possibilis, tempus est ideale.

38. Ex eo quod temporis notio ex successione habeatur, sequitur, ut tempus numquam simul totum haberi possit, sed ejus pars tantum aliqua, quae *momentum* praesens dicitur, unde *praeteritum*, et *futurum* tempus intelligitur. Rursus, quum positis rebus sibi continenter, physiceque succedentibus, tempus habeatur, iis ablatis, tempus tollatur, sequitur, ut ante mundum conditum, tempus nullum fuerit, sed tantum *duratio*, quae *est continua rei ejusdem existentia.*

39. Duratio rei quae principium habuisse, finem vero non habitura concipiatur, *aevum* dicitur; quae vero neque principium habuisse, nec finem habitura

---

et IV). Etiam ex spatii immensitate colligebat Clarkius notionem *infiniti*. Hinc acris disputatio ipsius cum Leibnitio, quum ille putaret, spatium, et tempus, utrumque infinitum, immutabile, indestructibile; hic autem nihil arbitraretur esse spatium quam *ordinem coexistentium*; tempus autem *ordinem successivorum* (*ess.* 4 § 14).

intelligatur, dicitur *aeternitas*. Sive nostram, sive objectorum durationem ope temporis dimetiri solemus. Primitiva temporis ipsius mensura est successio perceptionum, et affectionum nostrarum per memoriam exhibita. Sed haec mensura varia est pro affectionum, statuumque hominis natura; cum autem omnis mensura debeat esse simplex, et uniformis; idcirco ad dijudicandum de duratione nostri, objectorumque extra nos positorum adhibetur, etiam *motus* (1) constans, et uniformis, per constantem, et uniformem aliquam conversionem repraesentatus, ut est conversio indicis in quadrante horologii, et conversio diurna, vel annua solis.

40. Motus est *phaenomenon, quo compositum de loco in locum transferri intelligimus, et mutare relationem cum coexistentibus*. Hinc omnis entis compositi mutatio fit per motum; nam quum ens compositum constet partibus, ad ejus mutationem necesse est, ut partes aliquae vel addantur, vel minuantur, vel transponantur, vel prioribus ablatis, aliae substituantur. Iam nihil horum fieri potest nisi per motum. Hinc ens compositum cogitare non potest; nam cogitatio esset vera illius mutatio; ac proinde consisteret in motu partium, quod absurdum est. Ex idea motus habetur idea *quietis* eidem opposita (2).

---

(1) Animadvertit Stewartius (essais philosoph.) notionem *motus* secum involvere notionem *extensionis*, et *temporis*: notionemque *temporis* posse sine idea *extensionis*, et *motus* consistere.

(2) Praecipuas enumeravimus entis compositi proprietates, quas

41. Omnis vel successio, vel conversio durare incipiat necesse est. Hinc idea *ortus* entis; quod enim incipit, antequam inciperet, non existebat. Rursus quod incipit, vel antequam inciperet, nihil ejus prorsus existebat, et *creatum* dicitur, seu e *nihilo eductum*; vel ipsius *constitutiva* jam praeexistebant; atque actio, qua ens incipit existere, tunc dicitur *productio*, interdum etiam *generatio*. Ens quod durare desinit, *interire* dicitur. Sed duplici etiam ratione interit, scilicet vel *corruptione*, si entis constitutiva permanent, vel *annihilatione*, quum nihil ipsorum remanet.

---

alii cum Lockio distinguunt in *primarias*, uti *extensio*, vel *soliditas*, et *secundarias*, uti *sonus*, *color*, *calor*. Atque illas in corporibus esse affirmant, has autem esse vel conceptus, vel sensationes nostras, quae in corporibus non existunt. Hanc distinctionem minime admittens Bercheley, tam has, quam illas mere ideales esse docuit, nihilque objectivi existere extra cogitationem nostram. Unde merum idealismum professus est contra universalem illum hominum velut instinctum invincibilem, quo corpora existere credunt omnes, ut alias ostendimus. Haec est discrepantia *extensionem* inter, et *sensationes*, ait Stewartius, quod illa est ante omnem sensuum experientiam, potestque in infinitum augeri sicut notio *temporis*; hae non item: illa est absoluta; hae relativae: illa propterea locum habet inter leges *irreductibiles*, et essentiales cogitationis humanae; hae autem sequuntur sensuum experientiam. Haec etiam impossibilitas detegendi similitudinem aliquam inter extensionem absolutam, et sensationem, initium fecit Kantiano systemati, in quo auctor probare adgreditur, has duas intuitiones *spatii*, et *temporis empiricas* non esse, sed necessarias, et semper praesupponi ut conditiones cujusque perceptionis empiricae. Vide Degerando hist. des syst. t. II. p. 208 et seqq.

42. Hinc 1. ens necessarium nec oritur, nec interit; quia numquam esse potest in statu possibilitatis. Unde ens omne, quod oriri, vel interire potest, contingens est. Cum autem ens compositum sit contingens; oriri potest, et interire. Atque ideo nullum ens compositum est aeternum. 2. Omne ens compositum produci potest, atque corrumpi; quum enim ejus essentia sis posita in partium conjunctione, orietur, aut interibit, prout ejus essentia incipit, aut desinit, seu prout ejus partes certa ratione orientur, aut resolventur. 3. Ens simplex solum potest oriri *ex nihilo*, non autem produci ex praeexistentibus. Quum enim careat partibus, non potest existere ex constitutivis praeexistentibus. Eadem ratione non potest nisi *annihilatione* interire.

§ 5.

De ente infinito, et finito.

43. Ens omne infinitum est, vel finitum. Inter utrumque nihil est medii. Infinitum dicitur quod habet omnem possibilem *realitatem* absolutam, et in omni genere *illimitatam*, quae proinde omnem excludit defectum ulterioris realitatis (num. 12 et 13): cujusmodi unus est Deus. - Finitum habet limites, et consequenter laborat defectu realitatis illimitatae, potestque sine fine augeri, ut v. gr. est numerus quilibet. Sed limites nihil habere potest, nisi quid

sit semper ultra limites positum, et tandem sine limite; ergo finitum sine infinito intelligi non potest.

44. Ex his patet 1. infinitum non posse numeris exprimi, et vocabulum *numerus*, cum vocabulo *infinitus* non posse consociari. 2. Finitum additum finito non efficere nisi finitum. 3. Infinitum immensum esse, et mensurari non posse; finitum vero posse mensurari ab aliqua ejus quantitate, vel gradu sumpto uti ceterorum, ex quibus coalescit, mensura. 4. Extensum reale, et physice infinitum esse non posse; constaret enim partibus finitis; unde nec spatium physicum, et reale, nec materia infinita esse potest; nec etiam infinitum tempus reale, alioquin jam infinita praeteriissent momenta, essetque numerus actu infinitus.

45. Id etiam involvit infiniti notio, ut quodvis ejus attributum sit infinitum, ita ut cognito uno attributo infinito, ens in quolibet genere infinitum esse intelligatur; et reciproce, cognito vel uno attributo finito, ens in omni genere finitum esse cognoscatur. Unde ens infinitum in omni genere perfectissimum est. Quidquid perfectionis est, ens, et realitas est, quae proinde includitur in notione entis infiniti. Quare 1. nullum ens contingens est infinitum; ac proinde infinitum unice est ens necessarium, ita ut infinitum, et necessarium possint reciproce converti, sicut convertuntur inter se ens contingens, et finitum. 2. Quaecumque enti necessario conveniant, eadem de infinito praedicantur, et vicissim.

CAPUT IV.

DE VIRIBUS ENTIS.

46. Notio possibilitatis (num. 4) involvit notionem *potentiae*, quae est *habilitas ad aliquid* : hujus exercitium dicitur *actus*. Duo isthaec simul juncta involvunt notionem *vis*, quae est *principium activum*. Si hoc principium activum continet rationem sufficientem existentiae alterius (1), vel mutationis ali-

(1) Quaestio de existentia principii, quod rationem sufficientem rei alterius contineat, involvit alteram hanc quaestionem *cur scientia sit possibilis ?* Cui solvendae nullo non tempore, variisque rationibus se se addixere Philosophi, qui omnes propterea in rerum principia inquisiverunt, earumque causis detegendis insudarunt. Post nisus tot saeculis adhibitos, istis adhuc temporibus hoc problema exercet effraenem quaerendi licentiam, quae omnes per devia traxit, alios plerumque in scepticismum, alios in idealismum, a quibus minime distat Kantiano spiritu succrescens Germanorum philosophia, quae etiamnum queritur apud eorum Ænesidemum, quod Philosophi nondum *bases* posuerint cognitionum humanarum, quas dum alii post alios semper renovare student de basi ad basim, deque praemissis ad praemissas progredientes, omniaque probare cupientes, eo venere, ut nullam basim, praemissas nullas, nullamque demonstrationem constituere possint. - Quod incommodi removetur admissis *veritatibus primis*, et indemonstrabilibus. Vide in Logica de objecto sensus intimi. - At enim *certo ne has veritates cognoscere possumus ? Quaenam harum origo ? Realitas ?* Tribus hisce magnis quaestionibus sunt oppositae responsiones, inter quas medium esse potest, et gradatio a medio ad alterutrum extremorum. Primae quaestioni negative, aut dubitanter respondet scepticismus, dicens *nihil esse certi.* Contra respondet dogmatismus *omne est certum de quo sunt ideae clarae,*

cujus, dicitur *causa*. Quod existit vi causae, dicitur *effectus*. Causa igitur est *quidquid continet rationem sufficientem alicujus mutationis*. - Effectus *est ipsa mutatio vi causae producta*. - Illa ratio sufficiens mutationis, dicitur *causalitas*. - Scientia omnium nobilissima, quae de causalitate agit, *Ætiologia* nuncupatur.

47. Maxima omnium quaestio in Ætiologia est, *num causalitas demonstrari possit?* Seu, quomodo unum possit esse ratio sufficiens alterius? In hac solvenda quaestione, circa quam versatur universa philosophia, praesertim vero Metaphysica (scientia causarum ideo dicta), exercentur Philosophorum ingenia. Multi negant cum Leibnitio, et Humio asserentes, id solum

---

Alteri quaestioni respondet sensualismus, et empyrismus, cognitionum originem *esse in sensuum impressionibus*; rationalismus in *rationis deductionibus*. Tertiae demum quaestioni de cognitionum realitate respondens materialismus, eam unice reponit in objectis externis in corpus nostrum impingentibus: eamdemque ad internas mentis operationes exclusive coercet idealismus. Sed inter haec extrema patet medium. Dogmatismus enim, et scepticismus invicem temperantur; namque affirmamus consideratis cognitionum nostrarum titulis. Quo pacto, easdem limitibus donare discimus. Empyrismus. et rationalismus, sensus videlicet, atque ratio conciliantur comparando facta cum deductionibus, atque *generalizzationibus*. Idealismus, et materialismus componuntur admittendo duplicem realitatem objectorum, videlicet cognitorum per sensum internum, et per sensus externos, atque duorum agentium aequilibrium. Caveat igitur philosophus veritatis studiosus ab omni exaggeratione, atque etiam ab illis systematibus, quae intermedia esse possunt in illa distantia, quae a medio ad extrema existit. Vid. in Logica de object. cognit.

constare, in serie phaenomenorum, unum post aliud sequi, non vero unum esse alterius causam, proindeque *conjunctionem* quidem, non vero esse *connexionem* inter causam, et effectum. Verum si quoties unum ponitur, aut tollitur, toties etiam ponitur, aut tollitur alterum; manifestum est in illo esse rationem sufficientem istius, seu illud esse istius causam, eo magis, quum nulla alia foret istius existentiae ratio sufficiens. Ergo causalitas, seu effectus cum causa connexio, admittenda est; ut revera omnes homines ante omnem reflexionem, et velut instinctu quodam, ac tanquam principium rationis admittunt, seque gerunt consequenter ad hanc connexionis existentiam (1).

---

(1) Humius Scepticus hanc negans connexionem existere, putat, se posse phaenomenorum explicare conjunctionem per *adsociationem idearum*, qua profecto nequit explicari constantia legum naturae physicae, quae in hac causae, effectusque connexione fundatur. Eodem vitio labitur Campbell, dum explicare adgreditur hanc legum constantiam in *posterum tempus* ex analogia *praeteriti*, et *praesentis*. Potest enim admitti haec analogia quin *causalitas* admittatur; dein haec analogia probabilitatem parit, non certitudinem hujusce constantiae legum ordinis physici. Insuper haec *analogia*, aeque ac Humii *adsociatio idearum*, non probant *relationem causae, et effectus*, quae intercedit inter corpora externa, et partas inde in animo nostro sensationes, quam tamen velut *instinctive* admittunt omnes homines, utpote legem quamdam universalem, factum primitivum, atque principium, quod anterius cum sit, non eget demonstratione, sed evidens est, et *irreductibile*. Alia etiam ratione realem rerum existentiam externarum probare adgressus est Dominicus Romagnosius, in suo opere italico, *Che*

48. Praestat hic animadvertere, quod potentia, vel impotentia est quoad causam, id dici possibile, vel impossibile quoad effectum. Solent enim homines communiter asserere aliquid ab aliquo posse, vel non posse effici; unde effectus possibilis, vel impossibilis dicitur. Quod magis causalitatem confirmat.

49. Sed sufficiens ratio, et connexio isthaec, atque causalitas, potest variis modis considerari, v. gr. prout aliquis est rei effector, vel aliquo instrumento ad eam efficiendam utitur, vel finem in ea conficienda sibi praestituit, vel materiam ad eam perficiendam adhibuit, vel formam, aut exemplar sibi proposuit, quod imitaretur. Unde sex causarum species a Scholasticis numerantur, videlicet *efficiens*, *instrumentalis*, *finalis*, *materialis*, *formalis*, *exemplaris*.

50. Causa efficiens, quae una praestantiori modo sibi causae nomen vindicat, est illa cujus causalitas in actione consistit, seu cujus vis est ratio sufficiens,

---

cosa è la mente sana? In prima parte § V cui titulus: *Prova dell'esistenza di un chè reale fuori di noi - Indole rigorosamente logica di questa prova*; ubi causalitas demonstratur ex principio contradictionis, et ex unitate individua principii cogitantis. Huc referuntur omnia, quae reale commercium animae cum corpore ostendunt. Tandem connexio constans inter effectum, et caussam est lex quaedam naturae; nulla porro sine lege absoluta, et minime pendenti a temporibus, et locis, esse constantia potest. Sed experientia communis docet esse quaedam phaenomena, quae omnibus temporibus, et locis *constanter* consequuntur alia phaenomena; igitur haec lex, seu connexio, aut causalitas existit.

cur aliquid existat. Quae vis se multifariam potest explicare.

51. 1. Si haec vis gignit effectum per se, cujusmodi est vis animae in suas determinationes, dicitur *causa physica*; si consilio, hortatione, jussu, exemplo, laudando, non impediendo, quum impedire tenetur, effectum producat, *moralis causa* nominatur. 2. Si vis isthaec efficiens prima est, et ab alio non pendet, erit causa *prima*, cujusmodi est solus Deus: si ab alio pendet, erit *secunda*, ut omnes creaturae respectu Dei. 3. Si causa efficiens operatur effectum quem intendit, dicitur *causa per se*; secus causa *per accidens*. 4. Si ita agit, ut non possit neque ab effectu, neque a modis ejusdem producendi temperare, dicitur causa *necessaria*, uti sunt corpora in effectibus naturalibus producendis; secus est causa *libera*, ut voluntas in suis deliberationibus. 5. Si causa prima vim suam causis secundis ita communicat, ut istarum aliae aliis vim acceptam etiam communicent, existit series causarum, quarum aliae *proximae*, aliae *remotae*, aliae *immediatae*, aliae *mediatae* appellantur, prout proxime, et immediate, aut contra, producunt effectum.

52. Quare omnes causae secundae sunt simul causae, et effectus; causae quoad consequentia, effectus quoad antecedentia. Una est causa prima, quae ita est causa, ut effectus esse non possit. Inter causas remotas, illa, quae primum excitat, et determinat subsequentes, a quibus effectus pendet, dicitur *primum principium*, a quo causarum systema incipit.

53. Sunt qui hanc seriem causarum admittant, in qua omnes sint necessariae, quae ferream veluti catenam constituant a casu caeco pendentem, quod *fatum* appellant. Sed falsam hanc sententiam refutare non est hujus loci. Sunt qui doceant, in hac serie progressum esse in infinitum. Sed opinio absurda est; vel enim ponit causam secundam sine prima; vel admittit, aliquid esse causam sui ipsius efficientem; vel duo entia, quae sibi mutuo sint causa efficiens. In omnibus his est contradictio, ut patet.

54. Hinc 1. positis causis secundis, necessario ponenda est causa prima, quae scilicet a nulla pendeat, nullius sit effectus, sed ceterarum effectrix omnium, ut est *ens a se*. 2. Quod habet causam efficientem est *ens ab alio*. 3. Non datur effectus sine causa, quae prior effectu semper esse debet tempore, vel ratione. 4. Nequit plus esse in effectu, quam sit in causa; alioquin vel esset aliquis effectus sine causa, vel aliquid esset causa sui ipsius. 5. Quidquid perfectionis est in effectu, continetur in causa, idque vel *formaliter*, ut arbor in semine; vel *eminenter*, quum totum, quod est in effectu, id praestantius in causa continetur; vel *virtualiter*, quando causa vim habet illum producendi effectum, et quidquid perfectionis in ipso est. Unde etiam cum inter causas secundas sint quaedam causae liberae, libertas autem sit perfectio; causa prima est libera.

55. Si causa efficiens producit effectum alterâ mediante, cujus velut instrumento utatur, quod illius vi agat, altera isthaec dicitur causa instrumentalis,

quae habet quidem agendi vim a causa prima; qua vi tamen, vere ipsa agit, producitque effectum; ergo etiam vera causa est. - Si causa efficiens allicitur ad agendum intuitu rei alterius, quam cupit; alliciens haec dicitur finalis; quae cum contineat rationem sufficientem, cur effectus existat, videtur etiam vero sensu causam dici posse. Inde sequitur, causam, quae propter finem agat, facultate cognoscendi pollere. Quare positis causis finalibus, necessario fluit; existere Divinam providentiam. - Materia recipiendo causae efficientis determinationes. -Forma determinando ens ad certam classem. - Exemplar dirigendo causam efficientem, continent etiam rationem sufficientem alicujus mutationis; his igitur causae nomen etiam congruit.

56. Addunt aliqui causam *occasionalem*, quae nempe non vim agendi continet; sed tantum occasionem praebet causae principali, ut agat. Qui etiam opinantur, omnes causas secundas non esse nisi occasiones effectus, qui ipsis tamquam efficientibus tribui solent, quibus occasionibus Deus secundum leges a se constitutas ipse solus omnia efficienter operatur. At enim occasio non potest dici causa. Sensus autem omnium communis docet, causas secundas esse effectuum suorum vere effectrices. Quare Deus est quidem causa prima, perfectissima, omnibus tribuens agendi vim; sed non unica. Causae namque secundae vere agunt vi sibi communicatâ, et secundum propriam naturam, vel *libere* scilicet, ut *anima humana*, vel necessario, ut *substantiae corporeae*.

CAPUT V.

DE RELATIONIBUS ENTIUM.

57. Siquid esse potest alterius ratio sufficiens: si possibilitatis notio involvit potentiae notionem, unde notio causae, cum qua connectitur effectus; jam sequitur, inter entia *connexiones* esse, quae licet etiam sint entia, nostrarumque cognitionum objectum, et principium; solent tamen *relationes* nuncupari.

58. Itaque relatio definiri potest *ratio*, *qua ens aliquod nobis ingerit cognitionem alterius*. Tria igitur complectitur relationis notio: *subjectum*, *terminum*, et *rationem* inter utrumque. Subjectum a quo ducitur relationis initium ad terminum, dicitur etiam principium ejus, quia continet ipsius rationem sufficientem, et terminus in eo etiam includitur ut ignotum in noto. Hinc tot sunt relationum species, quot modis esse potest *ratio* inter subjectum, et terminum. Jam multas ex his rationibus attigimus, puta *extensionis*, *figurae*, *distantiae*, *successionis*, *spatii*, *loci*, *temporis*, *durationis*, *motus*, *causalitatis*. Innumeris aliis omissis, agemus, more Metaphysicorum de relationibus *identitatis*, *distinctionis*, *diversitatis*, *similitudinis*, *dissimilitudinis*, *quantitatis*, *qualitatis*, *aequalitatis*, *inaequalitatis* (1).

---

(1) Sunt qui relationes hujusmodi referunt ad tres classes praecipuas, nimirum ad *similitudinem*, ad quam spectant ideae generis speciei, et differentiae - Ad *coexistentiam*, ad quam referuntur

59. Res dicitur *eadem* quando *nullam subiit mutationem*. Est identitas *physica*, *moralis*, *personalis*. Identitas physica, quam alii metaphysicam appellant, habetur in ente, in quo essentialium complexio invariata persistit: sic *anima nostra eadem semper est*. Identitas moralis est ea, quae mutationem quamlibet sensibilem removet; sic putamus *eumdem qui olim, nunc ad Taurinum fluere Eridanum*. Identitas personalis, quando persona non mutatur; sic *eadem est persona Socratis, sive hic puer, sive senex consideretur*. Identitas enim personae in eo consistit, quod eadem remaneat substantia singularis, sui juris, suarum propterea operationum principium (1).

---

spatium, tempus, vacuum, locus, volumen, densitas, motus, quies, inertia, communicatio motus, mollities, durities, successio, velocitas, motus aequabilis, acceleratus, et retardatus, quantitas motus, actio, et reactio, potentia, et resistentia, aequilibrium, vires, aequalitas, inaequalitas, magnitudo, intensio; quantitas continua, quantitas discreta, unde unitas, numeri, et indoles operationum arithmeticarum, rationes, proportiones, Algebra, quantitates infinitae, immensitas, aeternitas. - Ad *dependentiam*, quae sub se comprehendit affinitatem, et contrarietatem, causam, et effectum, possibilitatem, impossibilitatem, effectum naturalem, et supernaturalem, necessarium, et contingens, rationem sufficientem, conditionem sine qua non, nihil, et existentiam, productionem, et creationem, finem, et media, obligationem, et moralem dependentiam.

(1) Quare fallitur Lockius ponens personae identitatem in eo quod aliquis praeteritarum actionum, aut cogitationum ita conscientiam habeat, ut eas tamquam suas agnoscat. Ergo ne sublatâ recordatione, et cogitationum conscientiâ eadem non existit persona? An non Petrus dormiens, & vigilans eadem persona est?

60. Distinctio est *negatio identitatis*, *qua fit*, *ut res una non sit altera.* Id si contingat ex eo quod res eadem mutationem subierit, *diversa* dicitur. Hinc res diversae, sunt etiam distinctae; non autem res omnes distinctae sunt etiam diversae. Res diversae vel sunt ita *disparatae*, ut tamen unius positio alteram non excludat, ut *pietas*, et *doctrina*; vel *oppositae*, quarum unâ positâ, tollitur altera. Hae porro *contradictoriae*, si positio unius includat negationem alterius ita, ut negatio unius includat etiam alterius positionem, uti *lux*, et *tenebrae*. - *Contrariae*, si unius positio postulet quidem alterius negationem, non tamen vice versâ, uti *amor*, et *odium*.

61. Similia dicuntur, quae *habent easdem determinationes*, *quae non sint quantitates*; secus dissimilia. Similia possunt esse inaequalia, aequalia autem dissimilia (1).

62. Quantitas est *collectio multorum*, *quae sint eadem*. Possumus dimetiri quomodo una quantitas se habeat ad alteram, assumendo *unum* collectionis, et explorando quoties in datis quantitatibus, quae comparantur, contineatur. Illud assumptum dicitur *mensura* (2).

---

(1) Sententia fuit nonnullorum Stoicorum, cui adhaesit Leibnitius, non posse duo perfecte similia esse, soloque numero diversa, quod principium *indiscernibilium* dixit. Sed eodem fatente, non repugnat haec duorum perfecta similitudo; ergo est possibilis.

(2) Inde latitudo, longitudo, altitudo, sive profunditas, superficies, linea, punctum, unde Geometria, et Arithmetica prout circa quantitatem continuam, aut discretam versantur.

63. Qualitas est quaelibet nota, quae alicui enti convenit, inservitque ad illud distinguendum. Quare generis locum haec tenet, quod complectitur 1. *attributa*, quae sunt qualitates essentiales. 2. *Modos*, et *accidentia*, quibus significantur solum qualitates, quae possunt rei inesse, vel abesse, ipsâ re incolumi: 3. *Proprietates*, quae sunt qualitates ita rei convenientes, aut alicui rerum collectioni, ut alteri tribui non possint. Est etiam in qualitatibus mensura quaedam, quae *gradus* nomine solet appellari.

64. Æqualia dicuntur *entia*, *quae invicem comparata*, *undequaque congruunt inter se in quantitate.* Secus inaequalia, ita ut alterum sit altero majus, aut minus, quorum hoc *parvum*, illud *magnum* dicitur. Unde idea magnitudinis, nempe ex quantitatum comparatione. Æqualitas igitur dici potest identitas quantitatum; inaequalitas vero quantitatum diversitas.

65. Ex his patet, omnes ideas relationis oriri ex entium comparatione, ita ut progrediamur ad ipsorum comparationem prout in abstracto sumuntur ac solum intelliguntur, a comparatione concretorum, quae ope organorum externorum, animo sentiuntur. Hac progressione ad ideas entis abstracti pervenimus, ac proinde ad universalissima principia per nexus rerum, quos ratio detegit, dum inquirit *cur* aliquid sit, vel existat, et perfectionis ordinis, ac pulchritudinis notionem sibi comparat, quibus finem imponemus demonstrationi de entis necessarii existentia, quo spectat omnis isthaec ontologica institutio.

CAPUT VI.

DE ENTIUM PERFECTIONE, ORDINE, PULCHRITUDINE.

66. Ex relationibus habentur praesertim notiones *perfectionis*, *ordinis*, et *pulchritudinis*. Perfectio entis est *complexus omnium in ipso, quae sunt necessaria ad finem obtinendum*. Si quid horum desit, sine quo finis obtineri non possit, dicitur entis imperfectio. Eo autem perfectius ens dicitur, quo simplicius, facilius, certius, cumulatius vel finem consequitur, vel ad ipsum consequendum inservit. Perfectissimum illud est, cui nihil deest, nihilque addi potest.

67. Si ens a natura ipsa ad finem obtinendum comparatur, perfectio dicitur *naturalis*; si ab arte ad finem obtinendum accommodatur, *artificialis* appellatur, quae tunc est, quum res naturales nostris usibus addicimus. - Est etiam perfectio *essentialis*, quum *essentialia attributa* conspirant, et *accidentalis*, quae posita est in consensu essentialium cum modis. Cum autem conspiratio esse non possit nisi realitatum; perfectio realitatem supponit, et summa perfectio, realitatem absolutam, seu ens, quod omnem entis plenitudinem habeat.

68. Ordinis notio habetur ex relatione, et conspiratione multorum ad unum. Quare ordo est *varietas ad unitatem redacta*, ita ut variorum distinctio habeatur: vel relatio relationum inter se, omnium vero ad unam: vel tandem series rerum ita dispositarum ut in antecedente habeatur ratio consequentis; omne

autem una ratione coalescant. Illud *unum*, quod ex pluribus secundum eamdem rationem juxta se collocatis, vel se consequentibus exurgit, *ordinatum* dicitur. *Plura* illa, quae varietatem spectantem ad unum constituunt, *ordinabilia*. Quo plura ordinabilia magis conspirant ad unum, eo perfectior est ordo. Si omnia ordinabilia conspirant, ordo *universalis*, seu metaphysicus dicitur, ut est ordo hujusce rerum universitatis.

69. Ratio secundum quam varietas ad unum spectat, ordinis regula nuncupatur. Si haec ratio sit una, ordo *simplex*; si multae sint, quae ad unam referantur, ordo *compositus* appellatur. Quod posset exemplo dispositionis librorum alicujus Bibliothecae illustrari. Si plures ordines uniantur in ratione similitudinis, aut identitatis, exhibent notionem *proportionis*. In rebus conspicuis est quoddam proportionis genus, quod *simmetria* dicitur. Haec habetur, quum totius partes, vel termini ceu ex medio aliquo puncto ita collocantur utrinque, ut omnes invicem congruant. Ex harum partium, terminorum, ordinum proportione oritur *harmonia* posita in simultaneitate *varietatis*, et *unitatis*, quam quodam pulchritudinis sensu experimur, ut in aliquo sonorum concentu, ex quorum etiam successione proportionali *melodia* enascitur.

70. Ex apta, simulque delectabili, et conspicua dispositione ordinabilium ad unum habetur pulchritudo. Est pulchritudo quaedam *metaphysica*, quae concipitur ex ordinabilium, vel ordinum congruentia inter se, et ad unum; pulchritudo *physica*, quae

posita est in congruentia rerum cum animi nostri constitutione. Haec varia esse potest pro animi hominum constitutionis varietate. Unde quaedam emergit pulchritudo opinionis, qua res aliquando pulchrae judicantur ex consuetudine populorum.

71. Quaeri solet num existat pulchritudo absoluta? Sed existere, colligitur ex eo quod existat relativa; etenim relativum dicit ordinem ad absolutum, sicut contingens ad necessarium. Id etiam inde constat, quod sint invariabiles regulae pulchritudinis, uti sunt veritas, ordo, decus, varietas, unitas, perspicuitas. Quorum siquid desit, cujusvis generis ea sit pulchritudo, nulla est (1).

---

(1) Magna semper causâ ordinis, et pulchritudinis delectatione afficitur animus, sive quia ad ordinem facti sumus, sive quia per ordinem magis exercetur animus ipse, et aptius, faciliusque ad finem tendit, evidentiamque rationum consequitur. Majore autem afficitur ordinis, et pulchritudinis sensu, quo major est relationum copia uno, eodemque tempore repraesentata, et minor est illius conatus in percipiendo, majorque in se exercendo facilitas, ac major in ordinabilium perceptione distinctio. Est etiam major, ceteris paribus, pulchritudo, quo major est novitas in repraesentatione. Facilitas distinguendi pulchrum pendet a temperie, educatione, exercitatione cujusque, a comparatione frequenti, a natura, etiam a climate. Ex quibus existit ille qui *gustus pulchritudinis* dicitur, quem evolvit aesthaetica, quae est scientia de sensu pulchri, aut pulchre cogitandi.

INSTITUTIO SECUNDA

DE METAPHYSICA SPECIALI.

72. Ex universalissimis Ontologiae principiis, rationisque notionibus, addendo specificas notas ad minus universalia descendimus. Sic enti in genere notam addentes *substantiale*, habetur *ens substantiale* sive *substantia*, quae vel *creata* est, vel *increata*. De utraque nobis agendum est in hac institutione, ac primo de substantia creata, ex qua ad increatam tamquam ex effectu ad causam assurgemus.

PARS PRIMA

DE SUBSTANTIA CREATA.

73. Substantia creata est ens ab alio, *quod ita concipitur existens, ut non indigeat quidem alio, cui inhaereat tamquam subjecto; sed tamen existat* vi entis a se. Quod autem ita existit, vel *spiri-*

tuale est, vel *materiale*. Unde substantia creata vel spiritualis est, vel materialis, seu *spiritus*, aut *materia*. Spiritus creati nomine veniunt *Angeli*, *Daemones*, *anima humana*, et *anima belluina*. De Angelis, et Daemonibus agunt ex professo Theologi; nos de anima humana disseremus, cui appendicis loco nonnulla addemus de anima brutorum. A spiritu humano ad materiam, non quidem brutam, indigestamque; sed prout ordine distributa cognoscitur, veniemus, cum qua communicamus per corpus nostrum, quod medium est inter animam, et mundum, sicut anima est medium quoddam inter mundum, et Deum, ad quem a nobis ipsis progrediendo universa haec etiam specialis Metaphysica tendit.

74. Quae de anima humana disserit scientia, *Psychologia* nuncupatur, quae de mundo agit *Cosmologia* dicitur. Quare duplex erit sectio de substantia creata.

SECTIO PRIMA

DE PSYCHOLOGIA

75. *Psychologia* ductum a Graecis vocabulum, Latinis est *sermo*, seu *scientia de anima*. Fontes quos adit haec scientia sunt *sensus intimus*, seu *experientia interna*, et *ratio*. Unde tribui solet in *empyricam*, seu *experimentalem*, et *rationalem* (1).

(1) Sunt qui trifariam dividant hanc scientiam pro triplici ejus

76. Quum ea, quae in parte experimentali ad intellectum pertinent jam in Logica praeoccupaverimus; de iis vero quae voluntatem spectant, copiose, et acute disserat in Ethica clarissimus Collega noster, hanc propterea partem vix attingemus, de iis uberius acturi, quae ratiocinando de anima cognosci possunt. Primo itaque ex phaenomenis internis quae

---

objecto; ajunt enim, 1. nosse historiam naturalem hominis interioris esse objectum psychologiae *experimentalis*, seu *empyricae*. 2. Explicare phaenomena, quae per hanc historiam exhibentur, esse objectum *psychologiae rationalis*. 3. Leges, his phaenomenis expensis, detectas, probatasque, ad unum systema exigere, objectum esse *metaphysicae psychologicae*. Sunt etiam qui post Verulamium ab experientia distinguant empyrismum, atque putent, hunc esse illius abusum: qui hunc profitentur, in veritatibus contingentibus quiescunt, et in factis particularibus: negant per speculationem experientia foecundari: connexionem rejiciunt inter effectum, et causam: facultates intellectuales ad solam sensationem externam, et spiritum ad conditionem passivam reducunt. Non videt empyrismus qua via transeat ratio a cognitis factis ad incognita, a factis praesentibus ad futura, a sensilibus ad abstracta, a veritatibus contingentibus ad veritates immutabiles, ab experimentis particularibus ad cognitionem legum habentium *generalitatem* absolutam. Quasi nempe ratio nequeat per identitatem, et constantem analogiam a particularibus ascendere ad universalia, a quibus scientiae enucleantur per illas connexiones, quae inter facta intercedunt, quasque experientiae ope ratio ipsa cernit. Haec erant animadvertenda ut philosophorum recentiorum scripta, praesertim vero Germanorum intelligantur. Varium nomen habuit empyrismus, videlicet *sensualismi*, *materialismi*, *atheismi*, atque etiam *scepticismi*, ex eo quod dubitationem excitaverit contra omnes cognitiones generales. Ejus originem invenimus apud Graecos Sophistas, recens colligitur ex Lockii, et Condillaci principiis. Solet tamen aliquando pro experimentali philosophiâ usurpari.

testatur conscientia ad eorum causam, scilicet ex operationibus ad existentiam, essentiam, et naturam principii cogitantis progrediemur; ex quibus simplicitatem ejus, et immortalitatem, ejusque cum corpore commercium deducemus.

CAPUT PRIMUM.

DE PHAENOMENIS (1) INTERNIS, DEQUE ANIMAE EXISTENTIA, ESSENTIA, ET NATURA.

77. Experientiâ nostri constat, nos *sentire*, *percipere*, *attendere*, varioque attentionem nostram dirigere, unde *conscientia*, *reflexio*, *abstractio*, *resolutio*, *compositio*, *comparatio*, *judicium*, et omnia facta interna, quae in Logica narravimus, quorum omnium complexus, dicitur *intellectus*. Eadem in nos conversâ observatione conscii sumus nos cognoscere *nexus* inter ideas, qui *rationes* dicuntur, quibus veluti luminibus attentio in variis suis modis dirigitur. Unde *ratio*, cujus est discrimen ab intellectu in eo, quod hic res percipit; illa rerum differentias, rationes, nexusque discernit.

78. Pro varia facilitate, qua per rerum nexus discurrimus, eosque complectimur, et intuemur, atque

---

(1) Phaenomeni vocabulum hic non sumimus sensu Kantiano, quasi aliquid *apparens* tantum significet, sed phaenomena hic intelligimus facta realia in nobis existentia, de quibus constat infallibili sensus intimi testimonio.

etiam pro varia idearum, objectorumque, per quae discurrimus, naturâ, varium *ingenium* existit, quod est *facultas consociandi.* Est autem ingenium *vulgare*, *subtile*, *penetrans*, *profundum*, *amplum*, *sublime*, *creans*, quod postremum Italis *genio* etiam dicitur (1).

79. Haec omnia experientiae internae phaenomena produnt *principium* aliquod *intelligens*; seu *intelligentiam*, et *mentem*, *intellectum*, et *rationem*.

80. Sed in attentione ipsa prodit se quidam etiam *nisus* cognoscendi veritatem, et refugiendi ignorantiam, ita ut attentio verissime dici possit nisus mentis tendentis in veritatem, et ignorantiam refugientis. - Hic nisus praesupponit statum, in quo non sat commode sumus, ad cujus mutationem, in meliorem alium tendimus. - Nitimur autem ad mutationem status ob *sensum jucundum* illius, ad quem tendimus, et *injucundum* illius, in quo sumus. Sensus jucundus, *voluptas*, injucundus autem *dolor* est (2).

81. Voluptas est sensus jucundus, quia sensus est propriae existentiae, nostrarumque virium, aut eorum, quae existentiam conservant, viresque perficiunt. Contra dolor est sensus injucundus, quia sensus est eorum,

---

(1) Facultates resolvendi, et consociandi praecipuae sunt ex intellectualibus facultatibus. Unde attentio, et adsociatio psychologis praesertim educandae.

(2) Ut exhibeamus animae phaenomenorum complexum, cogimur multa hic more gravissimorum psychologorum praeoccupare, quae in Ethica uberius evolventur.

quae nos destruunt, aut vires nostras imminuunt, nosque deteriores reddunt. Quod conservat, et perficit, *bonum*, quod destruit, nosque deteriores reddit, *malum* dicitur. Hinc 1. voluptas, et dolor sunt custodes nostri, et monitores, ut nobis comparemus ea, quae conservant, et perficiunt; vitemus ea, quae destruunt, nosque deteriores reddunt. 2. Duplex boni species est, nempe *conservans*, et *perficiens* (1).

82. Quum veritas mentem perficiat, quam deteriorem reddit ignorantia, et error; hinc voluptas mentis dum tendit in veritatem, refugitque ignorantiam, et errorem. - Haec *tendentia* cum voluptate est *amor*; remotio cum voluptate est *odium*. - Item: tendere cum voluptate est *appetere*, sicuti refugere cum voluptate est *aversari*. Quae duo, si cum vehe-

---

(1) Quamvis utraque boni species spectet ad corpus, et ad animam; *conservans* tamen magis corpus respicit, quod quum partibus constet, dissolvi potest, nisi aliquibus subsidiis in statu suo naturali conservetur. Homo de hoc bono monetur ex motionibus aequabilibus, et cum quadam mediocritate factis in fibrillis: contra monetur de malo ex motionibus modum excedentibus - Bonum perficiens magis spectat ad animum, qui quum simplicissimus sit, nec in se habeat dissolutionis principium, neque a creaturis destrui possit, ac proinde ea sit ejus natura, ut conservetur, egeatque ea sola conservatione divina, quae creatis omnibus necessaria est; aliunde vero sit principium activum; ejus vires perfici solummodo possunt - Malum quodcumque est privatio boni: non autem bonum dici potest privatio mali. Potuisset enim subsistere bonum sine malo. Hoc autem non concipitur, nisi praeextitisset bonum. Bonum igitur est substantia, non item malum, in quo defectus unice contemplatur, vel legis violatio.

mentia sint, et cum sanguinis, spirituumque vitalium commotione, dicuntur *affectus*.

83. Est igitur in nobis principium tendens in bonum, refugiens malum, amoris, odii, appetitionis, aversationisque capax ex vi sibi insita, et sine concursu principii efficientis externi, quod proinde facultatem habet se ad actionem determinandi in genere, vel ad unam prae aliis per eamdem vim possibilibus. Haec facultas, cujus actus testatur etiam experientia interna, dicitur *spontaneitas*.

84. Facultas, qua *sponte* in bonum tendimus, malum refugimus, amamus, odio habemus, appetimus, aversamur, *voluntas* appellatur. Cujus actus, quos experimur, sunt *volitio*, et *nolitio*. Illa est *ipsa mentis determinatio ad eligendum bonum, quod appetit, existens sine concursu principii efficientis externi*; haec est *mentis determinatio ad fugiendum malum, quod aversatur, existens sine concursu principii efficientis externi*.

85. Determinatio hujusmodi non est nisi ex perceptione boni, vel mali. Quae perceptio est motivum, quo principium activum in nobis existens se ad agendum determinat, quod proinde sine motivis agere nequit. Itaque voluntas cogi nequit a principio externo ad actus sibi proprios; sed determinatur a *motivis*.

86. Non solum conscii sumus, nos sponte velle, seu nosmetipsos determinari ad actionem sine principii externi efficientis concursu; sed etiam *habitis omnibus ad agendum requisitis, posse nos ab actione*

abstinere, et objectum perceptum velle, vel non velle; item velle, aut nolle; aut denique velle hoc, aut aliud ex duobus, quae, vel specie differant, vel sint contraria, vel contradictoria. Facultas, qua haec possumus, dicitur *libertas*, seu *immunitas a necessitate interna* (1).

87. Itaque 1. Vera libertas posita est in immunitate ab interna necessitate; neque est cum spontaneitate confundenda (uti faciunt ferme omnes libertatis osores), quae cum interna necessitate consistit. 2. Actio esse potest immunis a coactione externa, quin sit immunis a necessitate interna, ut sunt omnes actiones mere spontaneae, sed non liberae. 3. Libertas sine praevia repraesentatione boni, aut mali, ac proinde sine motivis exerceri nequit (85). Qua tamen posita repraesentatione potest adhuc voluntas ipsam actionem velle, aut nolle, aut aliam, vel oppositam velle; quia ubi agitur de bono particulari; quod nempe omnem realitatem non habet, potest semper in eo repraesentari aliquis defectus. 4. Hinc etiam libertas pendet ab intellectu, et ratione, ita ut nulla sit libertas, ubi nulla est ratio.

---

(1) En phaenomena, seu facta, quae sentimus in nobis. Quod si dubitaverimus, num haec facta sentiamus, saltem sentiemus dubium nostrum; ergo existet aliquod principium, quod dubitat, et sentit dubium suum, nempe anima. Inde concludebat Cartesius, nos melius cognoscere animam, quam corpus; nam in hypothesi, qua de corporis existentia dubitaverimus; certi saltem essemus de dubio nostro, ex quo certi evadimus de animae existentia.

88. Hisce omnibus phaenomenis simul congestis, quae omnia se produnt vel in uno attentionis actu; constat esse in nobis facultates intelligendi, atque sponte, libereque volendi. Atqui facultas sine principio, et subjecto, cui inhaereat, esse non potest; ergo est in nobis principium, seu subjectum intelligens, sponte, et libere volens, nempe principium cogitans, idest *anima*.

89. Ergo anima seu principium cogitans in nobis existit; et conscientia nobis suppeditat *data*, seu testatur *infallibiliter* ea facta, ex quibus evidenter concluditur *animi existentia* juxta illud: *cogito*; *ergo sum*. Hinc 1. habemus claram, et distinctam ideam, firmamque certitudinem existentiae animi nostri, ejusque proprietates clare, distincteque cognoscimus, easque a se invicem distinguimus, atque iis cognitis, animae scientiam conficimus 2. Animae *essentia* in *vi cogitandi* posita est; nam vis isthaec primum est, quod in anima concipitur, et ex ea, cetera quae de anima praedicantur, erui possunt; eâque positâ, vel ablatâ, ponitur, aut tollitur anima.

90. Quapropter fallitur Elvetius dum animae essentiam in physica sensibilitate reponendam putat; per hanc enim non explicantur omnia, et praecipua phaenomena animi nostri, neque omnes ejus facultates. - Fallitur etiam Wolphius eamdem essentiam ponens in *vi repraesentandi*, seu intelligendi, quod mox allatis rationibus, et ex dictis superius refutatur. - Falluntur, cum Dicaearco, La-Metrius, iique omnes, qui in quodam temperamento, atque me-

chanismo hanc essentiam positam esse tradunt. Haec materialistarum sententia pugnat cum internae experientiae phaenomenis, ex quibus potissimum quid de essentia principii cogitantis sit naturaliter sentiendum, determinare possumus.

91. Si vis cogitandi est principium internum omnium animae operationum, ex qua explicantur omnia, quae de anima naturaliter praedicari possunt, sequitur, in eadem cogitandi vi, non essentiam tantum, sed ejus *naturam* esse positam.

92. Sed quaeritur num anima perpetuo cogitet? Affirmant Cartesiani 1. quia positâ cogitatione mens ponitur, eâ sublatâ, mens non amplius intelligitur existere. 2. Quia semper urgemur desiderio felicitatis, quod esse nequit sine perenni cogitatione. 3. Quia homo ad Dei imaginem conditus est, et sola cogitandi facultate, sine ulla cogitatione reali, non potest concipi ad Dei imaginem factus. 4. Quia minime interrupta est mentis, et corporis conjunctio, ad quam requiruntur ex parte mentis continuae cogitationes, quemadmodum continui motus ex parte corporis; alioquin, deficiente mentis cogitatione, deficeret utriusque substantiae commercium, et animae vita, quae sane in cogitatione, et actione consistit. Ex quibus concludunt, cogitationem actualem ad animae essentiam pertinere, uti extensio ad essentiam materiae. Huic principio innititur doctrina de ideis innatis.

93. Negant Lockiani 1. quod cogitatio entitas modalis esse videatur; mens vero sit essentia. 2. Quod

cogitationes nostrae, aliae, atque aliae quum sint, alia quoque, atque alia videretur esse nostrae mentis essentia. 3. Quod nos simus cogitationum nostrarum auctores, non autem essentiae animi nostri, alioquin possemus etiam eumdem per nos ipsos conservare. 4. Quod concipi nequeat quomodo ens cogitare possit, quin se cogitare sentiat: nos autem non semper sentimus nos cogitare, praesertim in somno. Tandem fluunt cogitationes; num etiam fluit essentia animae? Unusquisque rationes utriusque sententiae perpendat; nos demonstrare adgredimur, subjectum, et principium cogitans necessario esse oportere simplex, immateriale, et spirituale.

CAPUT II.

DE ANIMAE SIMPLICITATE, IMMATERIALITATE, ET SPIRITUALITATE.

94. Animam esse substantiam simplicem, immaterialem, ac proinde spiritualem, ex positis principiis demonstrandum suscipio adversus veteres, recentioresque materialistas, quorum alii eam sibi fingebant velut si corpus aliquod esset subtilissimum, et motu celerrimo agitatum, aut ignis, aut aër, aut partes sanguinis tenuissimae, aut aliquod quasi mixtum, sublimiorique aliquo compositum; alii in motu partium subtilissimarum eamdem posuerunt, aut in conatu ad motum. Jam tetigi Dicaearchi sententiam. Adversus hanc societatis pestem totiusque virtutis,

ac generosi sensus inimicam, cui nihil placet, nisi luteum, sit

PROPOSITIO I.

Anima humana est simplex.

95. 1. Anima humana est principium cogitans; atqui principium cogitans necessario est simplex. Nam si cogitatio esset in subjecto composito, vel tota foret in singulis subjecti compositi partibus; vel partim in una, partim in altera; vel tota in aliquibus tantum. Sed nihil horum affirmari potest. Non primum; tot enim essent in nobis cogitationes, quot partes, scilicet innumerae; hoc porro est contra experientiam internam. Non alterum; nulla enim pars principii cogitantis esset conscia totius cogitationis; nulla integrum objectum perciperet, ut patet. Quod etiam est contra internam experientiam, cogitationisque naturam, quae simplex est. Non tertium; cur enim una subjecti compositi pars potius cogitaret quam alia? Si ceterae partes non cogitarent, jam non essent partes subjecti cogitantis. Ergo principium cogitans necessario est simplex.

96. 2. Principii cogitantis propria est facultas judicandi; ergo est simplex. Nam ad judicandum necesse est, ut principium cogitans duas ideas simul habeat, et utriusque sit conscium; secus nequit eas comparare, et judicare, unam cum altera convenire, vel contra. Atqui si compositum esset principium cogitans, et extensum non posset utriusque

illius ideae conscium esse; una enim pars unam ideam, altera alteram, neutra utramque ideam haberet. Ergo nequiret judicare de utriusque ideae relatione. Quod est contra experientiam. Ergo principium cogitans est simplex.

PROPOSITIO II.

Anima est immaterialis (1).

97. 1. Si anima est simplex, jam sequitur, immaterialem esse. Sed insuper: principium cogitans est liberum, suarumque actionum dominus. Ergo est incorporeum, et immateriale. Nam, si corpus esset libertate donatum, suique dominus, posset sibi motum dare, vel datum sistere, aut alio flectere; atqui nihil horum potest corpus, ut constanti constat experientiâ, qua imo certum est, materiam esse prorsus inertem. Ergo principium cogitans, ut liberum, ita immateriale est.

98. 2. Principium in homine cogitans, res abstractas, et ab omni materia secretas contemplatur, ad generalia scientiarum principia, et ad veritates a sensibus remotissimas consurgit; ex praeteritis futura prospicit. Haec omnia nequit praestare materia ut ut subtilissima concipiatur, et quocumque motu donata.

---

(1) Animadverte, nos animae spiritualitatem ab immaterialitate ipsius distinxisse, tum ut gravissimorum auctorum sententiam sequeremur, tum quia multa sunt immaterialia, quae spiritualia non sunt, ut omnia entia rationis.

Praeterea motus ab invicem non discrepant, nisi gradu, ita ut quilibet motus possit in alium converti; quis autem sensationem unam, v. gr. saporis, in aliam, puta coloris, convertere poterit, ut jam Aristoteles adversus Democritum, et Leucippum animadvertebat? Deinde; motus non potest in se ipsum reflectere. Rursus diversi, et oppositi motus non possunt in puncto indivisibili esse. Tandem in vocibus, quae proferantur coram multitudine diversarum gentium, idem sonus aures afficit omnium, idem motus eas invadit, non tamen omnes illum sermonem intelligunt; sed ii solum, qui linguam illam noverint. Ergo principium in homine cogitans seu anima, nec est corporea, et materialis, neque in motu poni potest; est igitur immaterialis.

PROPOSITIO III.

Anima est spiritualis.

99. Anima est simplex, et immaterialis, sive est unitas individua: est unitas activa, suarumque actionum domina, quae licet variis modis agat; unum tamen in hac sua varietate principium prodit. Si est unitas indivisibilis, et activa; ergo non est abstracta, sed substantialis, seu substantia; modus enim non agit. Si est substantia, quum non sit materialis, erit spiritualis; omnis enim substantia vel materialis est, vel spiritualis. Ergo neque corpus est, aut corporis qualitas, aut temperatio quaedam per totum corpus diffusa, qua vigemus, et sentimus; sed ita est sub-

stantia simplex, immaterialis, et spiritualis, ut absolute repugnet, eamdem esse materialem, aut cogitationem materiae convenire.

100. Quae absolute repugnant, neque per divinam omnipotentiam fieri possunt. Frustra igitur dubitat Lockius, num Deus efficere possit, ut cogitatio, et extensio esse possint ejusdem subjecti attributa. Licet enim non omnes materiae proprietates cognitas habeamus; tamen illud evidens est, inter occultas entis proprietates, eam comprehendi non posse, quae cum altera in eodem ente jam cognita nequeat absolute conciliari. Ergo cogitatio nequit esse materiae proprietas, quum extensioni repugnet. Quid? ipse Lockius ex notione entis compositi ostendit, Deum esse non posse materiam; si ergo sibi constare velit, ex eadem notione concludere etiam debet, non posse animam humanam esse corpoream, quin ipse metuat limites figere Divinae omnipotentiae, quae tantum ad possibilia extenditur.

101. Sed 1. inquiunt materialistae, anima percipit extensa; donata igitur erit extensione, quum debeat inter cognoscens, et cognitum esse proportio. - R. Anima cognoscit extensa, sed actu uno, et indivisibili (num. 99), qualis est actus cogitationis, et judicii. Aliunde cognoscit etiam inextensa, quae sunt supra subjecti compositi naturam. Est autem proportio inter cognoscens, et cognitum, statim ac inest animae cognoscendi facultas; extensa vero sunt unum ex cognitionis objectis.

102. Ajunt 2. Harmonia est inter animam, et cor-

pus, ita ut mutuis bonis, et malis afficiantur: item, ea ratione vires animi augentur, ac minuuntur, qua corpus roboratur, ac debilitatur. Ergo anima, et corpus non sunt dissimilis naturae. - R. Illam harmoniam non ex naturae similitudine, aut identitate; sed ex legibus commercii proficisci. Nec vis animae augetur, aut minuitur; sed magis, minusque explicatur pro varia corporis ratione, cum quo consociata est. Usque dum enim cum corpore conjuncta est, in eo pendet a corpore, quod sine hujus ministerio, externa objecta illi praesentia minime reddi possint; minus autem, aut magis illi praesentia redduntur, prout corpus huic officio minus, aut magis aptum est.

103. Ajunt 3. Mens humana replet spatium, quum existat in corpore tamquam in loco, quumque aliunde, quod spatium non occupat, nihil sit. - R. Anima nostra est simplex; ergo nequit occupare spatium, saltem modo corporeo, et variis spatii punctis respondere; nemo enim sibi fingere potest mediam, aut tertiam, aut quartam cogitationis partem, quae spatii partibus respondeat. Quomodo autem anima sit in corpore, hoc ignoramus; neque licet ab ignorantia argumentum petere, quo res evidentes impugnentur. Neque etiam inde sequitur animam esse merum nihil, quod repugnat experientiae, atque rationi; sed solum, eamdem nihil habere commune cum corpore.

104. Ajunt 4. Sonus unus exurgit ex variis corporis sonori partibus; poterit ergo etiam cogitatio ex variis animae partibus coalescere. Item: in qualibet

machina, nulla ejus pars continet potentiam agendi, producendique effectum, ad quem illa destinatur, qui tamen enascitur ex omnium partium conspiratione; ergo existere poterit etiam cogitatio in ente composito, licet singulae partes non cogitent.

105. R. 1. Sonum ex singulis sonori corporis partibus exurgentem, esse compositum ex singulis sonis, quos singulae partes corporis sonori afferunt; cogitationem autem, simplicissimam esse. 2. Partiales vires motrices conspirare posse, quia tendunt ad terminum iisdem externum; at vires cogitandi, utpote vires repraesentativae, tendunt ad terminum entis, in quo ipsae sunt, internum; quodvis enim ens cogitans sibi cogitat, sibi repraesentat, non alteri. Quare tot adsunt termini, quot cogitandi vires, seu quot entia iis viribus instructa. Hinc perperam affertur machinae paritas. Insuper potentia agendi in machina non quidem exurgit ex similibus potentiis partialibus, sicut ex. gr. quinarius non exurgit ex aliis quinariis; sed tamen exurgit ex potentiis ejusdem speciei partialibus, et respondentibus singulis machinae partibus. Ita si cogitatio inhaereret subjecto composito, deberet etiam ex singulis exurgere subjecti compositi partibus, quod cum natura cogitationis repugnat. Praeterea nulla machina agit in se ipsam, nulla est suorum motuum conscia. Quidquid in ipsa est, ad situm, figuram, inertiam, modumque partium refertur, ex quibus cogitatio existere non potest. Sed si adversarii nihil sunt aliud, quam bruta materia, quid ego adversus lapides istos, et truncos disputo?

CAPUT III.

DE ANIMAE IMMORTALITATE.

106. Animae immortalitatem jam revelatione certissimam, rationibus etiam confirmare adgredimur, quia praecipuum est religionis naturalis, totiusque societatis fundamentum - Sed haec potissimum in hoc argumento praemittenda : 1. anima humana est incorruptibilis, quia non habet partes, in quas resolvatur. Unde sequitur, perire non posse, nisi annihilatione ; et propter infinitam distantiam, quae intercedit inter esse, et non esse, a nulla causa creata, sed a solo Deo annihilari posse. 2. Anima humana *vita* spoliari non potest ab ulla vi creata; cum enim vita animae sit ille status in quo ipsa potest actu exercere operationes per vim cogitandi; vis autem cogitandi sit ejus essentia; si vitâ spoliari posset a causa creata, posset etiam existentiâ privari. Atqui ex dictis, non potest vis creata ipsam existentiâ privare ; ergo neque vitâ spoliare. 3. Anima humana non habet in se principium interitus, habet imo in se principium vitae; vivit enim cogitando, nec aliunde quaerit vitae suae alimentum, quam a propria intelligentia, et vi cogitandi. 4. Ergo anima humana est naturâ suâ immortalis, seu eidem propria est, perpetua existentiae, et vitae continuatio.

107. Sed quum anima naturâ quidem, sed non *essentiâ* sit immortalis ; quaestio est, utrum Deus,

qui absolutâ potentiâ potest ipsam annihilare, id etiam velit. Contendimus nolle Deum animam hominis perire, imo velle eam in perpetuum conservari. 1. Ex desiderio felicitatis. 2. Ex desiderio vitae, et mortis horrore. 3. Ex ordine providentiae divinae, qui in hoc mundo se se exhibet. 4. Ex consensu omnium gentium. 5. Ex eo quod, hoc dogmate sublato, contradictiones sint in natura. Itaque

108. 1. Deus nihil frustra molitur. Indidit autem nobis desiderium felicitatis: haec non potest in hac vita contingere, nulla quippe in terris quies; semper tendimus; in futura igitur continget, in qua Deus inditum a se desiderium, ideoque non inane, explebit. Quod autem hoc Deus homini desiderium indiderit, ex eo patet, quod sit hominibus naturale.

109. 2. Desiderium felicitatis complectitur semper *esse*, semperque *vivere*; non est enim felicitas ea, quae sit aliquando amittenda. Revera, est etiam in homine naturale desiderium vitae, quod multifariam prodit; quaerit enim sui apud posteros memoriam scriptis, aedificiis, inscriptionibus, prolis susceptione, rerum gestarum celebritate, aliisque modis. Mortem autem horret, nisi ubi profundenda sit vita in virtutis, aut religionis obsequium, aut pro patriae incolumitate. Quae mortis gloria, et cupiditas in his adjunctis cum vitae desiderio componitur; naturalem enim hanc vitam amittimus, ut inveniamus in altero statu sempiternam, quo ablato, contradictio esset in natura, nempe inter mortis horrorem, vitaeque

desiderium, atque hanc mortis honestatem, et gloriam. Quum ergo Deus non destruat, sed conservet, et perficiat rerum naturas, earumque proprietates; conservabit, perficietque in altero statu animae vitam, quae eidem naturalis est. Id ipsum ex nostrorum affectuum analysi colligi posset.

110. 3. Non solum ingenitis hisce propensionibus, quasi vocibus internis; sed etiam spectabili suo providentiae ordine tamquam solemni, et publico praecone, ubique Deus futuram hanc hominis vitam praedicat. Nam sunt in hac vita homines probi ut plurimum vexati ab improbis: illi variis infortuniis, et rebus asperis tanguntur, dum hi florentes sunt, bonorumque calamitatibus insultant: illi pro meritis bene, poenas; hi pro sceleribus praemia referunt. Jam vero si est providentia (quam Dei notio necessario includit), et Deus scelerum vindex, virtutisque patronus; altera etiam esse debet vita, in qua justos praemia virtutis, improbos scelerum poenae maneant.

111. 4. Hisce vocibus sive internis, sive externis alte, et ubique statum hunc futurae vitae praedicantibus, sive etiam traditione primi parentis in posteritatem omnem descendente, permotae omnes gentes, in hanc futuram vitam semper consensere. Atque hujusce consensus testes sunt sepulchra, vitâ functis adhibitus honos, mos apud barbaros multos, quo uxores, et servi, morientibus maritis, et dominis, mortem appeterent, ut eorum consortio, secundum ipsorum sententiam, in alterâ vitâ fruerentur. Sunt

etiam ejusdem consensus monumenta doctrinae Philosophorum ab antiquis ad haec usque tempora cognitae, Poëtarum descriptiones de Orcho, deque Elysiis: religio, cultus Deo praestitus, sacrificia, Metempsycosis, Apotheosis, ritus sacri, culta virtus, horror in crimina.

112. Paucorum contra sentientium opinio nullius est roboris, quia reprehendunt opere, quod docent sermone. Ipsi enim et posteritati student, et famae: ipsi mortem reformidant, scelerumque conscientia torquentur, virtutem vel in hoste diligunt. Non vero istud dogmatis negant ex animo, sed inviti, ut vitiis indulgeant; atque ex eorum opinione judicare idem est, ac ex monstris quibusdam de universo genere hominum ferre sententiam. In omni autem re ex sapientioribus, cultioribusque, potiusquam ex insipientibus, naturaeque vocem opprimentibus, consilia capere, vera prudentia dictat.

113. Hisce omnibus cumulum adfert Christianorum omnium non solum consensus inter se, et cum aliis hominibus de hac re; verum et ipsorum religionis vox altius, clariusque praedicantis, quae submisse natura docet, solventisque problema de felicitate. Hunc autem poenarum, praemiorumque aeternitatis testem naturae superadditum, eique consentientem, tot veritatis radiis quaquaversum micantibus ornatum, tot subsidiis suffultum, tot vocibus hominum per temporum omnium diuturnitatem, locorumque spatia confirmatum, quis audeat contemnere?

114. Tandem hoc futurae vitae dogmate sub-

lato, innumerae contradictiones in natura existunt, quae unice eo posito tolluntur. Pone enim vero futuram vitam, conciliatur desiderium felicitatis, et vitae, atque mortis horror, cum mortis cupiditate de qua (n.º 109) dictum est. Pone hanc vitam futuram, quam bene cohaeret spectabilis ordo divinae providentiae cum illis hominis vel laniatibus, vel deliciis prout hic male, vel bene egerit! Hanc pone, et rationem affers naturalis illius timoris, qui exanimat improbos in mortis limine positos, et spei illius jucundissimae, quae probos sustentat. Hanc pone, et interest esse discrimen inter bonum, et malum, inter beneficium v. gr. et homicidium. Hanc pone, et simul fundamentum legibus, societati, religioni posuisti, revelationem cum ratione conciliasti. Hanc deme, chimoerica omnia sunt, absurdisque plenissima: ordo nullus, nec ordinis auctor superest, sed horror in natura, et in homine universalis.

115. Haec ne omnia simul congesta, ea sunt, quae ne dubium quidem ingerant de alterâ vitâ, aeternum duraturâ? Quod si dubitas, miser, qui aerumnas mavis, et cum multis spinis paucos, flacescentesque flosculos hujusce vitae, quam meliorem sperare conditionem!

116. Adversarii objiciunt 1: anima cum corpore nascitur, crescit, senescit, cur non etiam cum ipso moriatur? quod enim habet initium, debet habere finem. R. Anima oritur per creationem, corpus per partium coagmentationem: illa simplex est, hoc compositum; istud igitur, non illa partium dissolutione

perire potest. - Quod simplex est, perfici potest, non crescere ; perficitur ergo, non crescit animus. - Nec senescit ; sed ob arctum ejus cum corpore commercium, pro varia hujus conditione, variis illa modis afficitur. - Neque tandem habere finem potest animus, licet habuerit initium ; non enim habebit finem illud cujus natura est immortalis, et quod Deus vult in perpetuum perseverare, ut ex suo providentiae ordine, et indito naturali vitae, et felicitatis desiderio de anima nostra futurum esse perspicue colligimus.

117. Objiciunt 2. Inania sunt isthaec ex ordine providentiae, et ex inditis propensionibus ducta argumenta. Ex his ad summum colligitur, animam aliquo post mortem tempore superstitem fore, at non in perpetuum duraturam. Praeterea desiderium beatitudinis vel non est naturale, vel non debet necessario impleri, ut alia id genus non implentur. Tandem si est in homine desiderium vitae, est etiam horror mortis. Quorsum hic, si naturâ homo est immortalis? R. Non sunt inania argumenta quae ducuntur ex absurdis, quibus etiam utuntur Geometrae. - Desiderium felicitatis homini naturale esse, nemo negat nisi insipiens. Hoc autem est desiderium beatitudinis perfectae, quae naturâ suâ includit vitae perpetuitatem. Cum autem sit naturale hoc desiderium, est a Deo ; itaque impleri debet. Quae non implentur hominis cupiditates, non sunt a natura, sed ex ipso naturali summi boni desiderio ; unde fit, ut donec ad hujus possessionem non pervenerimus, irrequieti simus, semperque in illud tendamus. - Horror mortis non est

ex eo quod mori aliquando debeat animus ; sed ob incertitudinem exitus ; tum eo quod mors sit poena peccati ; tum etiam ex eo quod mors adversetur vitae , quam naturâ diligit homo , unde sequitur, ut abhorreat a morte.

118. Objiciunt 3. Æterna felicitas sola ratione cognosci nequit ; quidquid enim de hac novimus revelationi debemus; ergo naturaliter appeti non potest. Unde consequitur , animam *philosophice* mortalem , *theologice* vero immortalem esse. - R. Ex naturali ratione cognosci nos ad cognitionem , et amorem Dei , tamquam finem nostrum ultimum conditos esse. Ergo licet destituti revelatione , sciremus tamen , nos perfectae alicujus beatitudinis , quam aeternam esse debere agnovit etiam Tullius , capaces esse, licet non adeo excellentis , ac ea sit , quam Deus ex gratuita beneficentia se nobis collaturum pollicitus est. Ex his patet, animae humanae immortalitatem esse objectum rationis ; eam enim demonstravimus principiis sola ratione notis. Revelatio autem , dum ad meliorem hujus usum valde confert, illam etiam confirmat, et in majori lumine collocat. Itaque anima et philosophice , et theologice immortalis est (1).

(1) Quapropter merito Leo X in Concilio ultimo Lateranensi distinctionem in objectione propositam damnans , praecepit simul omnibus philosophiae doctoribus , ut in discordiâ , quae philosophiam inter et theologiam intercedere videretur, penitus eliminandâ omni operâ , et diligentiâ enitantur , omnique conatu animi immortalitatem argumentis ex ratione naturali petitis constabilire

119. Objiciunt 4. Datus est animus ad corpus informandum ; hoc igitur moriente , et ille debet interire , sicut interit brutorum anima. R. Ex propensionibus animo inditis , et ex Divinae providentiae ordine colligitur, praeter corporis informationem, longe nobiliorem finem animo praestitutum esse. - Nec valet paritas ex brutorum anima ; haec enim non habet propensiones animae humanae , nec est capax illius finis consequendi , qui animae hominis utpote liberae , et rationali constitutus est.

120. Objiciunt 5. Perperam in hac re ducitur argumentum ex universali consensu ; quot enim ex antiquis , et recentioribus tum Philosophis tum populis hoc dogma vel rejiciunt , vel ignorant ? An non ipsis Hebraeis incognitum fuit ? Quorum tamen respublica floruit ; unde consequitur etiam hanc doctrinam societati conservandae minime necessariam esse. - R. Non convellitur universalis consensus ex insipientium dissensu (112). - Ignorantia hujus dogmatis apud barbaros quosdam non satis testata est. - Nec Hebraeorum respublica fuit sine hoc dogmate , cui universa eorum doctrina , et religio de venturo Messia inni-

---

studeant ; erant enim tunc temporis , qui , dum se acres revelationis defensores ostenderent , rationem omnino deprimerent ; ex quibus multi eo spectabant , ut ratione labefactatâ , ad quam pertinet *motiva credibilitatis* expendere , ipsam quoque revelationem convellerent. Quod in Montaigne contigisse novimus praesertim , et in Baylio , quorum irreligio , et scepticismus universalis ab hac rationis oppressione incepit.

tebatur ; quod confirmabat honor sepulchrorum : Samuelis umbra a Pithonissa evocata : sacrificia. Expresse id non docuit Moses, quia non erat opus in re clara omniumque animis infixa. - Non video quae societas esset sine hoc dogmate, in qua nulla superessent motiva ad societatem impellentia, virtus, vitiumque confunderentur; nullum esset sceleribus praesertim occultis fraenum : nullum etiam publicis, ubi universum populum haec pestis invaserit. - Virtus, ajunt, est sibi praemium. Nugae, ubi animus nulla spe meliorum sustentetur. Vitium est carnifex scelesti ; videlicet ubi Deum scelerum vindicem reformidet. Quid? An non scelesti laetantur cum male fecerint ?

121. Objiciunt ultimo, consensum hunc universalem ortum habuisse a praejudiciis, a poëtarum fabulis, a Legumlatorum vafritie, qui vulgi levitate abusi sunt. R. Nullum esse potest praejudicium universale ob studia hominum opposita, atque dissidentes eorum cupiditates. - Poetae suis fabulis expresserunt communes hominum opiniones, eorumque traditiones, quarum testes fuere. - Si Legumlatores usi sunt hoc argumento ad leges firmandas ; ergo jam hominum mentes invaserat haec doctrina ; nemo enim onerosum per onerosius, ignotumque per magis ignotum persuadere nititur. Nec de vulgo ibi sermo est ; sed de universo genere humano. Frustra igitur vulgi levitas obtruditur.

CAPUT IV.

DE MUTUO ANIMAE, CORPORISQUE COMMERCIO.

122. Est in nobis substantia simplex, immaterialis, spiritualis, immortalis, idest anima. Distincta haec est a corpore; attamen arctissimo nexu cum ipso copulata, ita ut unum suppositum constituant, quod persona dicitur, unamque naturam humanam, seu hominem, cujus dicuntur omnes actiones voluntariae, quae vulgo nec animae, neque corpori, sed homini tribuuntur. Animam autem, et corpus uniri dicimus, quousque inter se harmonice utriusque operationes et nascuntur, et producuntur. Haec harmonia, qua certis in corpore motionibus certae in anima respondent affectiones, et vicissim, *commercium animae cum corpore* solet appellari.

123. Esse istud commercium haec praesertim phaenomena ostendunt, quae experientiâ constanti notissima sunt: 1. Sensui animae respondent corporis motus vel ab objectis externis excitati, ut in sensationibus; vel ab imaginatione, ut in affectibus: vicissim vero, corporeis commotionibus respondent animae sensus: v. gr. quum attentius aliquid mente revolvimus nervi capitis intenduntur, rugae apparent in fronte, oculi diriguntur ad objecta, ad quae animus tendit; quando irascimur, novus in ore color enascitur etc. 2. Corporearum imaginum subsidio plerumque reminiscimur, sicuti quibusdam morbis capitis memoriam amittimus. 3. Voluntati jubenti corpus

obtemperat, quandoque corpori cedit anima, quae etiam eo male affecto, ipsa quoque languet; illo recte constituto, ipsa etiam laeta suas operationes obit. 4. Exoriente vehementi sanguinis commotione in corpore, oritur quoque in anima perturbatio, et in ideis confusio, quae cessat ea cessante. Ergo anima vere corpori unitur (1).

---

(1) In hoc animae, corporisque connubio multi cum Stahlio *animistarum* (sic ajunt) principe, *vitam* ponunt, ita ut vitae nostrae principium sit in anima; ac laudant ex recentioribus Vireyum eorum sententiae, ut ipsi putant, subscribentem; qui tamen sibi ipsi non consentiens, Stahlium arguit, eo quod in anima ponendo vitae omnis principium, systema proponeret, quo neque plantarum, neque brutorum animantium, neque actionum hominis, quae involuntariae sunt, posset reddere rationem - Alii licet fateantur, animam esse principium activum; negant tamen cum Sprengelio, et Hoffmanno, quos ferme omnes recentiores medici sequuntur, animum esse principium vitale sui corporis, eo quod corpus quasdam functiones exerceat, quae minime pendent ab anima, quin etiam fiunt, animâ vel invitâ, vel nesciâ, uti est sanguinis, humorumque circuitio, secretio materiae *alibilis*, *chilificatio*, nutritio, incrementa, id genus alia - Sunt qui animam a spiritu distinguentes, illam in sanguine collocant, eique principium vitae hominis tribuunt; qui etiam inde repetunt universalem persuasionem de victimarum sanguine fundendo, ut offensa Divinitas placabilis redderetur, ut Maistrius noster ait (*des sacrifices*) - Verbi controversia est, si recte video. Primi enim de vita hominis disputant ut homo est, et de functionibus corporeis ab animae imperio pendentibus, deque vita cum sensu sui conjuncta. Secundi de quadam vita disserunt universaliori sensu accepta, quae *vegetales* videlicet, et *organicas* functiones omnes complectatur. Recentiores Organologi vitam ponunt in complexu functionum, quae in *entibus organizzatis* observantur; sic

124. Sed quomodo potest anima corpori uniri? num per modum commixtionis? an per physicum con-

---

tamen, ut varia vita pro variis istis functionibus sit distinguenda; nempe *organica* in organismo posita; *animalis*, posita in sensu, et motu; *rationalis*, ut in homine intelligitur, et omnem in se vitam continet, ut perfectius minus imperfectum comprehendit. Hinc patet, principium vitae varie se se explicare, pro variis gradibus, quos vita suscipit; licet vitae vis una sit in variis partibus varia prodens phaenomena, quae *nexu dynamico*, seu amica functionum conspiratione, omnia expediuntur, sive id per *sympatiam* existat, aut virium communionem; sive per *synergiam* seu adsociationem, qua plures vires simul in aliquam functionem intendunt; sive per *antithesim*, seu oppositionem, qua dum quaedam pars actuosior est, aliae quodammodo feriari videntur. Sed haec obiter; sinimus enim Chemiae, Physicae, Anatomes, et Physiologiae cultores vitae partes resolvere, viresque supputare, ejus organorum formam, situm, directionem describere, qui tamen post insignes de *natura principii vitalis* inquisitiones, post varias hypotheses de *excitabilitate*, *irritabilitate*, *extensilitate*, *contractilitate*, *energia*, *mobilitate*, deque *vi machinae viventis*, quale hoc principium sit, non satis demonstrasse videntur, fortasse quia est indemonstrabile, utpote factum simplex, et primitivum - Juvat hic referre Mauritii Buffalini Cesenatis sententiam, qui in opere cui titulus: *Fondamenti di Patologia analitica.* Pesaro. 1828, in quo Brownianam *excitabilitatem* ad *syntomologiam* revocare conatur, cap. XI. vol. 1, putat - 1. Vim vitalem non pertinere ad vires primitivas (quas inditas esse materiae censet); sed ad secundas, quae unice pendent ab *organizzatione.* 2. In *organismo* non esse vim simplicem, sed virium *aggregatum*, quae proportione respondent variis principiis materialibus, ex quibus coalescit organismus, ita ut actio vitalis, aut excitabilitatis affectio, aut mutatio status organici ipsorum principiorum materialium, unum, idemque sit. - Quae nisi de motibus mere organicis intelligantur, vix a Dicaearchi sententia differre videntur, superius refutata.

tactum? utrumque repugnat substantiae spirituali et simplici; tangere enim, et tangi nihil praeter corpus potest. Ita Materialistae.

125. R. 1. Multa sunt quorum existentiae modum ignoramus, quae tamen existere, evidentissimum est. Est in nobis principium intelligens simul et agens, cujus operationes vim omnem corpoream supergrediuntur: corpus gestamus; ergo ex duabus substantiis coalescimus simul conjunctis, ut omnes, exceptis Monistis, fatentur Philosophi. Quomodo duo isthaec uniantur, ignoramus. Hanc autem unionem repugnare, negamus; non enim repugnat existere quod existit. 2. Anima potest movere, corpus moveri; sicut igitur non repugnat a principio movente communicari motum ei, quod motui excipiendo aptum est; ita licet repugnet animam uniri corpori per modum mixtionis, aut ipsum movere per contactum physicum; non repugnabit uniri per modum virtutis, aut alia ratione, quam Deus abdiderit, dum rem ipsam patefacit.

126. Quamvis possibilis sit, imo existat haec inter animam, et corpus admirabilis actionum, motuumque harmonia, ut ferme omnes fatentur Philosophi; laborant tamen, semperque in eadem explicanda laborabunt. Nos jamjam praecipua eorum systemata afferre parati huic nexui enodando excogitata, praemonemus, illud esse ceteris anteferendum, quod *realem*, non vero *apparentem* animae, et corporis dependentiam statuit, quodque ponit quarumdam animae perceptionum rationem sufficientem in motibus

corporis, et quorumdam corporis motuum in volitionibus animae vere contineri. 1. Quia talem experimur conspirationem qualis foret si anima vi sua produceret motus voluntarios in corpore, corpusque esset causa perceptionum rerum sensibilium in anima. 2. Quia inutilis foret omnium organorum externorum tam exquisita conformatio, si ea nihil conferrent ad animae sensationes. 3. Quia universalis omnium hominum est de hujus dependentiae realitate consensio. 4. Quia ex hac unione existit unicum compositum nempe homo. Hisce praemissis ipsa systemata exhibeamus.

127. Tria isthaec systemata praecipue celebrantur. 1. Dicitur *causarum occasionalium*, seu *assistentiae*: 2. *Harmoniae praestabilitae*: 3. *Influxus physici*, sive *causalitatis*. Primum Malebranchii, et Cartesianorum; alterum Leibnitii, et Wolphii; ultimum Scholasticorum est.

128. Malebranchius posteaquam denegasset omnibus creatis substantiis veram agendi vim, ut redderet rationem hujusce commercii ad Deum confugit, docuitque ex occasione volitionum animi a Deo moveri corpus, et ex occasione motionum corporis, animam ab eodem modificari.

129. Hoc systema non est aptum commercio explicando. 1. Enim non statuit mutuam dependentiam corporis, et animae. 2. Nititur hypothesi partim improbabili, partim falsa. Improbabile namque est, causas creatas nullam agendi vim habere, ut alias ostendimus (ontol. 56): imo falsum est, nullam in anima vim inesse; cogitat enim, vivitque; quomodo

potest aliena vi cogitare, alienâque vitâ vivere? 3. Non conciliatur hoc systema cum principiis in Ætiologia nostra constitutis. 4. Hoc systema non est philosophicum: Philosophi enim est in phaenomenorum causas inquirere, non vero statim confugere ad immediatam actionem Dei, eumque tamquam ex machina advocare; qua re non solvitur nodus, sed secatur.

130. In systemate harmoniae praestabilitae, commercium sic explicare nititur Leibnitius: Deus animam, corpusque constituit quasi duo *automata*, quorum illud propria vi suas perceptiones, et volitiones non interrupta serie efficiat, hoc vero suas motiones; hac tamen lege, ut diversae mentis cogitationes diversis corporis motibus respondeant, et varii corporis motus variis animae cogitationibus, eodem ferme modo, quo duobus horologiis iidem essent motus iisdem temporibus; exindeque agant corpora quasi nullae animae; agant vero animae quasi nulla extarent corpora (1).

131. Sed 1. istud etiam systema tollit realem animi, corporisque dependentiam, ut patet. 2. Pugnat cum principio rationis sufficientis; manifesto enim sunt multi status animae, qui in hoc systemate nullam habent rationem sufficientem neque in corpore, neque in statibus animae antecedenttbus, quibus saepissime

---

(1) Hoc systema dictum fuit *harmoniae praestabilitae*, ex eo quod Deus cuique animae illud ex omnibus possibilibus corporibus copulaverit, quod illius perceptionibus, et volitionibus congruos motus vi insita effecturum praevidit.

consequentes minime connectuntur, sed imo oppositi quandoque sunt. 3. Hoc systema tollit libertatem, inducit enim fatum, seu necessariam seriem perceptionum, et volitionum: asserit motus corporeos esse ex mechanismo, non igitur libero animi imperio. 4. Ducit ad idealismum: namque in hac hypothesi corporum existentia probari nequit, statim ac tollitur omnis relatio animae cum corpore.

132. Nititur quidem Wolphius libertatem in hoc systemate tueri, asserendo eam seriem volitionum ab anima electam esse. Sed qui esse potuit electioni locus ante primum hujusce continuae seriei statum *futuri gravidum*, quum nulla esse poterat illius primi status perceptio? Quomodo praevidere potuit animus omnes status subsequentes? Attamen nihil volitum quin praecognitum. - Nituntur etiam Leibnitiani a se idealismum removere docentes ex notione mundi optimi corporum existentiam demonstrari. At unde norunt, corpora ad optimum mundum pertinere? Undenam animus, qui volitiones suas exerit sine relatione ad corpus, quique easdem operaretur, licet nulli esset corpori junctum, undenam, inquam, novit, se esse corpori copulatum?

133. Utroque hoc systemate rejecto, superest tertium, quo ponitur mutua animae in corpus, hujus autem in animam actio; atque ab anima petitur ratio cur cum certis animae affectionibus certi motus in corpore, et vicissim, perpetuo coexistant, ea ratione, quam in Logica (num. 4) indicabam. Quod systema, licet certum non sit; ceteris tamen probabilius est.

134. 1. Enim haec efficientia est possibilis (num. 126), neque enim repugnat, spiritum gaudere facultate movendi corpora, qua proinde non erit expers animus, cui vi muneris sui competit jus conservandi corporis, resque noxias ab eo removendi; neque repugnat, corpus praesens fieri animo, qui est corporum percipiendorum capax. 2. Hoc systema nequit falsum demonstrari aut a *priori*, quum possibile sit, aut a *posteriori*, quum phaenomena commercii, ipso fatente Wolphio, talia sint, qualia forent si anima in corpus, hoc vero in illam efficienter ageret; neque ulla hinc absurditas consequatur. 3. In hoc systemate mutua corporis, animique dependentia statuitur. Ergo ceteris anteferendum (126).

135. Sed contra. 1. Non cognoscimus quomodo anima in corpus agat, et corpus in animam; ergo systema causalitatis nequit sustineri. 2. Actio corporis in animam pugnat cum hujus simplicitate, et immortalitate; quia in hac hypothesi, quum anima in cogitationibus suis videatur a corpore pendere, intelligi nequit quomodo ab eodem separata cogitare posse pergat. 3. Anima in corpus agere non potest, quin hoc in illam reagat; quod etiam intelligi nequit.

136. R. ad 1. Multa non intelliguntur, quorum existentia certissima est (125). Hypothesis autem causalitatis et possibilis est, et phaenomenis consentit, et probabilibus suadetur argumentis. - Ad 2. Haec animae dependentia a corpore non ex illius natura est, sed ex legibus commercii a Deo statutis. Cum autem ea sit animae natura, ut essentialiter cogitare

possit ; hac potentiâ pollebit etiam a corpore separata. - Ad 3. Lex actionis, et reactionis solum pro corporibus viget ; actiones autem mentis quum alterius sint naturae, alias etiam leges sequi possunt. Deinde anima gaudet vi motrice, corpus est capax motus recipiendi; ergo non repugnat animam movere corpus. An non Deus, licet simplicissimus, est primum movens omnium? Ad haec: ignotum adhuc est Philosophis quomodo motus corporibus communicetur, quod tamen communicari evidens est. Ergo perperam ex ignorantia mentis nostrae brevissimae adversus hanc hypothesim argumentamur.

137. Certum igitur est, animam esse corpori copulatam ; sed in quanam hujus parte sedem habet? Alii eam putant toto corpore veluti diffusam; at haec sententia ex eo refelli videtur, quod secto, aut fortiter ligato nervo, omnis illico sensus in ea parte pereat. - Alii in corde ; unde vecordes, concordes, excordesque dicimur. - Alii in sanguine. - Putamus in cerebro collocandam ; nam in solo cerebro nos cogitare videmur ; sed in quanam cerebri parte? Cartesius eam ponit in glandula pineali ; quod negant alii, ex eo quod motibus spirituum animalium haec glandula impelli, agitarique nequeat, neque nervi ab organis sensoriis protensi illuc pertingant. Alii eam sedere docent in corpore calloso cerebri, in quo est sensorium commune, unde nervi sensationibus inservientes originem ducunt per medullam, et per totum corpus disperguntur (1).

(1) Dum notionibus physiologicis, et anatomicis relationes inter

138. Ubicumque ea ponenda sit, pro certo habemus ipsam non inesse corpori uti nauta in navigio, aut uti Rex in regno, quae Platonis sententia fuit;

---

physicum, et *morale*, vel hujus relationis extensionem, aut modum, quo manifestetur, ceteraque animae phaenomena explicare niterentur recentiores Physiologi, scientiam condiderunt, quam organologiam, et craniologiam, vel encephalogiam, aut cranioscopiam, vel etiam phraenologiam appellarunt, quamque hisce principiis superstruxere. 1. Facultates animae intellectuales, et morales pendent ab organismo praesertim cerebri. 2. Omnes cerebri laesiones, aut imperfectiones influunt in harum facultatum, et functionum imperfectiones; unde animae facultates variant variante cerebri organismo, aut statu, aut volumine cerebri ejusdem, in quo sunt organa varias functiones spectantia, atque talenta, quae 27 enumerat D. Gall. 3. Universale systema facultatum intellectualium, et moralium reduci commode potest ad unicum principium, et subjici legibus primitivis vitae animalis. 4. Hoc principium est vel *sensorium* physiologorum, vel *adsociationis arcanum*. Hartley, et Priestley; aut *motus mechanicus* fibrarum cerebralium, ut putat Bonnetus, vel *animatio* Derwinii, aut *physica sensibilitas* Cabanisii, et Helvetii, quibus nuperrime assentiri videtur D. Alibert in suo opere *Physiologie des passions* etc. 5. Existunt quaedam relationes inter physicum, et morale hominis, quibus ope sensationis, aut motus impulsionis, aut alterius mechanismi explicatis, ratio redditur omnium phaenomenorum naturae sensibilis, et intelligentis. - Error in his omnibus systematibus praecipuus, et maxime praecavendus ille esset, quo cerebrum constitueretur tamquam causa efficiens cogitationis, quum solum uti quoddam instrumentum habendum sit, quo animus utitur, ut acquirat ideas rerum sensibilium. Quo sensu diximus animam a corpore pendere. Adversus hunc errorem universa tendit nostra psychologia, dum demonstrat animum essentialiter gaudere vi cogitandi, eumque esse simplicem, et immortalem. Haec habet ad rem nostram Stewartius: *tous les systémes, qu'on a*

sed cum eo arctissime copulari; alioquin cum corpus laeditur, aut fame, sitique pulsamur non sentiremus dolorem, sed puro intellectu ipsum perciperemus, ut nauta visu percipit, si quid in navi frangatur. Neque etiam ita est in corpore, ut per mediam aliquam substantiam tamquam vehiculum in corpus agat; nam media isthaec substantia nulla esse posset praeter spiritum, aut corpus; proinde haec hypothesis non solvit difficultates.

139. Sed quid de anima priusquam corpori jungeretur? Quidam aeternam dicunt, vel Dei particulam, vel ejus ideam. At enim: anima finita est, ens contingens, vicibus obnoxium, dependens; ergo non est aeterna: Deus est simplicissimus, ergo anima esse nequit ejus particula. Neque ejus idea; nam ideae Dei sunt aeternae, ipsaque intelligentia ejus. - Ex eo quod anima humana sit ens contingens, ac proinde *ab alio*, aliunde vero sit ipsa ens simplex; consequitur, ut tantum *per creationem* oriri potuerit (72). Quare animae nostrae natura Dei existentiam ostendit.

140. Quandonam vero creata est? num simul omnes initio temporum, aliquo autem veluti thesauro receptae, ex quo singulae in singula corpora immittantur? Ita Plato, aliique. Num pars est animae parentum? Ita Traduciani. Num de corporibus in di-

---

imaginés jusqu'à ce jour pour expliquer physiologiquement les causes des phenomenes intellectuelles, sont entièrement denués des preuves (essais Philosoph. etc.).

gniora, vel minus digna corpora etiam belluina pro meritis perpetuo ipsae transeunt, quod *Metempsycosim* vocant? Ita cum multis Pythagoras.

141. At enim, corpori praeextitisse animam, nulla probant argumenta; si autem praeextitisset, status illius recordaremur. Traduciani animae simplicitatem destruunt; insuper refutantur iisdem argumentis, quibus ostenditur, animae ortum solum esse posse per creationem. Metempsycosim, qua parte statuitur migratio animae nostrae in corpus belluinum, refellunt, quae afferuntur de infinita hominum inter, et belluarum animos distantia. Omnis autem hypothesis isthaec adversatur et desiderio felicitatis, et revelationi docenti, unumquemque sumpturum in corpore suo praemium, vel poenam, prout in eo bene, vel male gesserit.

142. Quum anima nostra non existat ante corpus, existit igitur cum ipso: sed corpus humanum existere vero sensu dici nequit, nisi quum ejus organa obeundis actionibus vitalibus apta sunt. Ergo tunc solum anima creatur, eique conjungitur. Ita revera cum primo homine factum novimus. Idipsum demonstrari potest ex eo quod, quum pars quaedam corporis destruitur, ita ut actiones vitales perfici nequeant, anima ab illo recedat; unde colligimus ad ipsum non accedere, nisi quum actiones vitales obire incipit. Quippe instrumentum animae corpus est, quo ipsa res sensibiles percipiat, cui usui non est aptum, nisi quum vitam accipere potest.

APPENDIX

DE ANIMA BELLUINA.

143. Variae sunt de anima belluina sententiae. Esse mentes humanas in belluarum corpora poenis luendis revolutas, vel ipsam mundi animam, vel substantiam mediam veteres arbitrati sunt. Cartesiani belluas putaverunt automata, et machinas, in quibus nihil esset praeter aptum organismum, et motum. Hanc sententiam impugnarunt recentiores *Philosophi Naturalistae* (1), ex quibus Bonnetus in

(1) Hi non tam per organologiam, et craniologiam pertentarunt animae hominis naturam, sed hujus etiam comparatione cum moribus, et instinctu brutorum, unde orta *Psychologia comparata*, scientia videlicet, quae studio naturae *organizzatae* bestiarum instinctus, mores, functionesque perpendit ex earum comparatione cum analogis facultatibus humanis, ut inde facilius humanae cogitationis, sensusque phaenomena explicentur. Hisce autem partim veris, partim falsis, partim vero dubiis principiis innititur: 1. Animantia bruta exhibent entium catenam gradibus distinctam usque ad hominem. 2. Animantia quaeque habent organa. 3. Habent facultates intellectivas, affectivas, instinctivas, ex quibus constat ea non esse *automata*. 4. Habent intellectionem, habitus, et mores in ratione directa perfectionis organicae. 5. Abundant instinctu prout destituuntur organis; hic autem instinctus est in iis perfectior, quam in homine. 6. Cessat in brutis intelligentia, ubi cessant vertebrae. 7. Ex comparatione instituta inter functiones animae humanae, et animae belluinae, melius illa cognosci po-

libris de *Contemplatione Naturae*, posteaquam immensam entium catenam se constabilisse putavit, quod pertinet ad brutos, incipiens a polypo indeque gradatim ad ceteras animantium species progressus, usque ad hominem, belluis tribuit facultates, et instinctus miros, industriam, et intelligentiam. Antonius Genuensis congestis analogiis probare conatus est, brutis animantibus tribuendas esse actiones *necessarias*, *spontaneas*, et *medias*. Buffonius tribuit iisdem facultatem motricem, et quamdam sensibilitatem, seu sensum internum materialem (hist. des anim.). Condiliacus analysim instituens systematis facultatum bestiarum, vera eas sensibilitate, perceptione, instinctuque donatas, ideoque anima spirituali instructas arbitratus est (traité des anim.). Hanc etiam rem tetigere Darwinius (Zoonomie tom. 2), Gall (sur les fonctions du cerveau), Vireyus, aliique.

144. Putamus nos, belluas sentire, et cogitare: quod ratiocinando colligi posse videtur, et argumentis ab analogia nostri, atque observatione deductis.

145. 1. Observando cognoscimus esse in belluis machinismum quemdam, et membrorum structuram plus minusve ad humani corporis exemplar, prout

---

test. Nonnulla ex his principiis oppugnavit nuperrime vitâ functus Melchior Gioja in libro, quem inscripsit *esercizio logico sugli errori ec.*, et in sua Ideologia tom. 1. Nos quid de his sentiamus in textu aperuimus.

plus minusve ab humani organismi perfectione distant; quo mechanismo possunt motus absolvere. Sunt in iisdem sensus, et in multis eorum aliqui validiores, quam in homine.

146. 2. Eis insuper hic mechanismus est, quo non organice tantum, et naturaliter; verum et sponte possint membra movere, moveantque revera, ut facta in iis observata ostendunt. Spontanei motus nulli sunt sine principio activo, quod proinde belluis concedendum.

147. 3. Spontanei motus consequuntur impressiones ab objectis externis factas in organa sensuum; quibus impressionibus patet etiam brutum animal, et sensatione afficitur physicae voluptatis, et physici doloris. Numquid igitur principium sentiens, et sponte agens est materiale?

148. 4. Ex sensatione physicae voluptatis, et doloris, seu ex necessitate comparandae sibi voluptatis ex iis ortae, quae conservant, et vitandi doloris parti ex iis, quae destruunt, belluae ad agendum determinantur. Eadem necessitas in belluis affectus etiam generat, ut phaenomenis compertum est (1).

---

(1) Quo saepius haec urget necessitas, eo frequentius eaedem repetuntur actiones, ad conservationem necessariae. Iisdem repetitis, contrahitur habitus. Hic habitus, cui initium fecit erudiens necessitas, orta ex propensione, qua quis sine reflexione; voluptate vero, aut dolore impellentibus apte ad fines sibi proprios tendit, appellatur *instinctus* - Homines perinde ac belluae suos instinctus habent. Quae faciunt illi ex habitu, qui originem habet

Qui affectibus agitatur v. g. *irae* ob injuriae recordationem, *timoris* ex opinione periculi (quibus belluas commoveri exploratum est), se ille memoriâ, et imaginatione donatum ostendit, et quadam perceptione, atque necessaria attentione ad objecta physica, quibus actu afficitur. Hisce igitur omnibus belluae non carent, saltem illae in quibus licet haec phaenomena observare; imo quadam discretione donantur, ut videre est in cane, qui hero blanditur latrat extraneo. Est igitur in brutis animantibus principium sensibile, activum, incorporeum, spirituale.

149. Quid igitur belluas inter et homines discriminis? Multiplex, et infinitum. Homines habent sensationum conscientiam, quod belluas non puto. Incitantur homines naturali cupiditate scientiae, honoris, potentiae, societatis: eorum affectus commo-

---

a propensionibus innatis, vel experientia, et reflexione, haec instinctui tribuimus. Quum e. g. iter agimus, quin de itinere cogitemus instinctu id facimus: quum iter agentes de itinere cogitamus, puta, ut elegantius incedamus, itineris voluptate fruamur; id reflexioni datum, instinctui sublatum est - Certius belluae instinctu ducuntur ac nos; quum enim sui perfectioni minime studeant, spectentque solum ad physicum dolorem vitandum, physicamque voluptatem sibi comparandam ex iis, quae corpus conservant: paucis egentes, angusto actionum circulo contractae, non sciendi cupiditate, non socialibus actae incitamentis, sed uno pondere necessitatis, semper eadem repetunt. Nos pluribus, quas nobis creavimus, egestatibus pressi, attentionem ad plurima dividimus, habitus multiplicamus: parum in iisdem rebus immoramur: leviter pleraque attingimus, ac delibamus: multum erramus, quia nimiis cogitationibus occupamur.

ventur etiam bonis moralibus, praeteritis, et futuris; belluae una voluptate, et dolore physico, et nullo desiderio perfectionis exstimulantur, affectibus ex bono, vel malo physico, et praesenti concitatis solum commoventur; neque socialem vitam instituere, nisi illam, ad quam specie quadam instinctus, externis formis, et quibusdam sonis omologis, non libere, neque rationalibus principiis; sed necessario adiguntur quod melius dixeris convictum quemdam sine societate. 3. Belluae nec abstrahere possunt, neque ad universales, et theoreticas veritates assurgere, idcirco non artes, non scientias condere, non linguam, nec medias ideas invenire ad ratiocinationem instruendam, neque rerum nexus, et relationes percipere. Hinc non Dei cognitionis, non juris, non obligationis, non actionum moralium capaces sunt: libertate carent, quae sine rationis usu nulla est.

150. Quapropter, licet spiritualis sit belluarum animus, et suapte natura immortalis; quum tamen, nihil apud Deum mereri possit, nullis religionis vinculis cum ipso colligari; aliunde vero nec futurorum bonorum cupiditate ducantur, solis vero praesentibus haereant, nec beatitudinis desiderio urgeantur; videtur earum animus non perpetuo duraturus; sed a Deo post illius e corpore discessum per annihilationem extinguendus.

SECTIO II.

DE COSMOLOGIA

151. Existit homo, ut hactenus demonstravimus. Ergo duplex est admittenda substantia creata, *spiritualis* videlicet, et *materialis*; ac proinde uno impetu idealistas, et materialistas, tum etiam monistas profligavimus. Sed praeter nos ipsos, estne aliquod extra nos positum (1)? Profecto. Cui enim bono animae conjunctum est corpus? Cur data organa sensoria? An non, ut anima humana communicaret cum rebus materialibus extra nos positis? Quapropter praeter uniuscujusque nostri personam, alia quoque existunt varietate distincta, cum quibus communicamus, ac de quibus judicamus ex variis sensationibus, quas experimur.

152. Complexio isthaec rerum sensibilium dicitur *mundus spectabilis*. Scientia, quae evolvit notiones generales hujus mundi, aliorumque possibilium, graeco vocabulo *cosmologia* nuncupatur a *cosmos* (res ordine donata, seu mundus), et *logos* (sermo). La-

(1) Qui impressionum nostrarum causam ponunt in objectis extra nos positis *Allaitiani* dicuntur, a Graecis vocabulis ἄλλο et αἰτία, quasi causa alia, et diversa. Qui earumdem causam in anima ipsa esse putant, *Egaitiani* ab ἐγὸ αἰτία, quasi *ego causa*. Allaitianorum alii spiritualistae sunt, qui hanc causam unice tribuunt Divinitati; alii corpori, quo juncto cum animo, fit homo ens mixtum.

tissime patet haec scientia, quam nos ita contrahimus, ut 1. agamus de mundi hujus existentia, et origine. 2. De generalibus ejus legibus. 3. De ipsius perfectione.

CAPUT PRIMUM.

DE EXISTENTIA, ET ORIGINE MUNDI.

153. Mundi nomine intelligimus *seriem compositam ex pluribus seriebus entium realium per causas tum finales, tum efficientes connexorum, quae alterius seriei pars non est.* Componitur series per causas finales, quum ita sapienti aliquo consilio constituitur, ut unum alteri inserviat tamquam medium ad finem, quemadmodum videmus in hoc mundo spectabili. Componitur per causas efficientes, quando nisi hae interessent, series existere non posset, uti sunt omnes series contingentium, omniumque proinde quibus hic mundus coalescit. Hinc 1. mundus est aliquod compositum. 2. Casus in mundo spectabili non datur. 3. In eodem est ordo universalis.

154. Jam vero existere seriem illam modo enunciatam, seu mundum spectabilem patet tum ex iis quae in Logica disputavimus de corporum existentia adversus idealistas, et egoistas, praesertim Bercheleyum (1), tum ex iis, quae in superiori num. 151 attulimus, tum ex sensu communi.

(1) Bercheley idealismum ita breviter contraxit Reid apud Stewar

155. At quum hic mundus sit aliquod compositum; ergo est contingens. Profecto ita existit, ut ejus non existentia minime repugnet. Potest enim cogitari tamquam non existens, ut mundi omnes possibiles. Quare nulla necessitate existit. Nec sane aliqua necessitas intelligi potest in ejus conformatione, aut in partibus ejus; possumus eas nobis repraesentare tamquam alio modo dispositas, vel numero majores, aut minores.

---

tium (essais Phil. in nota *e*): « Si nous avons quelque connais-
» sance du monde matériel, il faut que ce soit par l'intermé-
» diaire des sens; mais *par les sens nous n'avons d'autre con-*
» *naissance que celle de nos sensations*; et nos sensations, qui
» sont les attributs de l'*esprit*, ne peuvent ressembler à aucune
» qualité d'une chose inanimée » (trad. de Charles Huret). »
Negando minorem, ut idem observat Reid, universa corruit theoria. Hanc Bercheley hypothesim nova demonstratione evertere adgressus est Dominicus Romagnosi in opere laudato (not. ad n. 51). Cujus demonstrationis hoc principium est: sunt in nobis facta certissima, sed transeuntia, contingentia, et opposita, cujusmodi sunt sensationes: facta isthaec non possunt animae tribui uti causae; quia anima, cum sit ens simplicissimum, non potest esse partim determinata, partim indeterminata, ut esse deberet, si oppositae sensationes eidem essent tribuendae, uti causae; ergo debent sensationes habere causam aliquam animae externam; proinde est extra nos aliquod reale objectum compositum. Hujus demonstrationis genesim jam indicaverat Destutt Tracy animadvertens animam nostram gaudere facultate movendi corpus, quo cum mundo externo communicamus; contingere autem aliquando, ut licet nitatur corpus movere, non possit, ob resistentiam aliquam, quae impedit, quominus illud moveatur, suumque movendi corporis desiderium impleatur. Quam demonstrationem evolvit nuperrime *Lehaitre (traité élémentaire de Logique).*

156. Si contingenter existit mundus; ergo habet causam effectricem; unde nec aeternus est, nec improductus. - Causa effectrix mundi cum debeat esse *prima*; jam excluditur processus in infinitum, qui esset series causarum, et effectuum sine causa prima. Excluditur etiam hic processus ex eo quod series isthaec rerum contingentium non habeat in se rationem sufficientem suae existentiae sive res singulae spectentur, sive in complexu: quae propterea ratio sufficiens repetenda est a causa prima una omnium, quae habeat in se rationem existentiae suae sufficientem. Excluditur tandem ex eo quod involvat contradictionem; ponit enim, simulque negat causam primam, ut patet ex notione processus in infinitum.

157. Sed quaeritur num causa effectrix mundi solum ordine disposuerit materiam, quae aliunde sit aeterna? Ita quidem censuit Aristoteles. Verum si materia est aeterna, ipsa quoque est ens necessarium, immutabile, independens, infinitum, ens a se, perfectissimum. Atqui materia est contingens, nihilque horum de ea praedicari potest. Quod si ea esset ens necessarium, neque a causa prima posset ordine donari; nulla enim ipsa dominium habet in ens aeternum, necessarium, independens, immutabile. Ergo materia non est aeterna.

158. Hinc etiam evertitur Epicureorum systema de mundi origine. Horum opinione duo sunt rerum principia: *plenum*, idest *athomi*, et *inane*, seu *vacuum*. Illae numero, hoc extensione infinitum. Illae ab aeterno existunt, et in vacuo infinito moventur *motu*

obliquo ex Democriti sententia, cui *directum*, et *declinatorium* addidit Epicurus. Hisce motibus ab aeterno agitatae in vacuo, in se mutuo, et fortuito vi gravitatis impingunt, atque hac fortuita concursione modo resiliunt, modo conjunguntur, atque cohaerent, quo collisionum, agitationumque genere, Diis in otio perpetuo quiescentibus, hic mundus casu existit.

159. Sed hae athomi vel sunt simplices, vel compositae. Si primum, ergo nec ad impactionem venire possunt, nec resilire ab invicem, neque cohaerere. Si alterum, ergo aeternae esse nequeunt. Insuper vel finitae sunt, vel infinitae. Si finitae (1); ergo in vacuo infinito ob infinitam distantiam, quae semper intercederet inter singulas, numquam mutuus earum concursus esse posset. Si infinitae, praeterquamquod numerus infinitus (Ont. n. 44) repugnat, aequarent spatium illud infinitum, ipsumque adeo perfecte implerent, ut haud amplius possent moveri. Insuper quum singulae possint eam habere figuram, qua nequeant invicem perfecte, et ex omni facie conjungi; superessent inter easdem implenda spatiola; idcirco spatium magnitudine superaret athomorum numerum, essetque infinitum infinito majus, quod repugnat.

160. Quod autem ad athomorum motum speciatim attinet, animadverto, si simplices athomi sint, movere quidem, at moveri non posse. Si compositae,

---

(1) Sileo, in hypothesi Epicuri, eas finitas esse non posse; ipsas enim docet esse necessarias.

iisdem motum essentialem non esse. Nam 1. cogitare possum materiam motu affectam, vel eo destitutam. 2. Externa experientia constat, corpora motum accipere; quare iisdem vis motrix adventitia est, atque primum movens est extra omnem corporum seriem. 3. Vel ille motus est variabilis, et non est necessarius; vel invariabilis, et nullam habere potest mutationem a resistentia, aut ab impulsu, quod est contra Epicuri hypothesim; vel ab aeterno gradatim accepit incrementa, et nunc celeritas corporum esset infinita; unde transitus factus fuisset a finito ad infinitum, quod repugnat. Quod si nunc celeritas non est infinita; ergo aliquando fuit infinite parva, hoc est nulla (1).

161. Inde 1. praesens haec partium materiae universae consociatio et ordo esse nequit ex casu fortuito. Casus enim quum nihil sit, esse nequit causa existentiae rerum, earumque ordinis sapientissimi, qualis in mundo cernitur. 2. Esse nequit haec rerum compago ex praeexistente materia. Unde nam igitur fuit? num per emanationem a substantia divina? Ergo erat haec substantia ante mundum; sed cum ipsa sit aeterna, simplex necessario est, proindeque nequit

---

(1) Addi etiam posset, vel vires motrices esse pares, vel impares; si primum, mutua collisione, corpora perpetuo quiescent; si alterum, vincet major; et unicus erit motus, qui semper imo in hac hypothesi vicit, egitque, seu redit absurditas motus aeterni. Nulla quoque potest intelligi gravitas in spatio infinito, in quo nullum profecto esset centrum.

ab ea emanare compositum, et contingens. Num ortum hic habuit a substantia quacumque spirituali creata? Sed haec substantia non habet vim infinitam, quae requiritur ad mundum producendum. Unum superest, ut ortum habuerit per creationem, ac proinde vi numinis omnipotentis ob infinitam distantiam, quae intercedit inter non esse, et esse. Ab eo igitur tamquam a Creatore, et causa prima hic mundus existit, et pendet.

162. Verum ajunt: ex *nihilo nihil fit* (1); quare impossibilis est creatio. - R. Ex nihilo essentiae nihil fit, concedimus; ex nihilo existentiae, quod nempe idem est ac nuda rei possibilitas, nihil fit, praesupposita existentia primae causae effectricis, a qua effectus nondum existens prodire possit, negamus. Ex hoc igitur axiomate refutantur quidem omnes, qui vel mundnm ipsum, vel materiam improductam esse statuunt; sed nihil adversus creationis possibilitatem urgeri potest.

163. An non saltem creatio ab aeterno possibilis est? Sunt qui negent aeternitatem cum entis creatione pugnare. Sed, si mundus creatus est, seu ex nihilo effectus, translatusque a non existentia ad exi-

---

(1) Hoc axioma, Cudwortho animadvertente, plures sensus habere potest, hos praecipue: nihil est sine causa sufficiente - Nihil se ipsum producit - Nihil per vires naturales ex nihilo educi, aut in nihilum reduci potest - Ex nihilo tamquam materia nihil fit - Nihilorum additione nihil obtinetur. Sed omnes hi sensus creationis possibilitati non adversantur.

stentiam; ergo aliquando non extitit. Contra si mundus ab aeterno creatus; ergo semper extitit; atqui repugnat mundum aliquando non extitisse, simulque semper extitisse. Ergo creatio ab aeterno repugnat. Ergo creatus est in tempore a Deo.

164. Quaestio adhuc suboritur num libere, an vero absoluta, et immutabili necessitate, et fato quodam creatus sit? Sed libere creatum mundum, efficiunt omnia quae Dei libertatem adstruunt, tum etiam theoria generalis de causis liberis. Nos autem Dei libertatem suo loco tuebimur; libertatem autem hominis, unde etiam Dei libertas concluditur, evidenter ostendit, et simul quodlibet fati genus refutat in Ethica clarissimus Collega noster.

165. E re nostra, et hujus loci est, pressius insectari fatum Pantheisticum prout a Spinosa fuit adornatum, quodque jam in Ontologia exposuimus. Hoc systema 1. excludunt omnia quae de ente necessario diximus. 2. Ejusdem vanitas ostenditur ex eo quod totum innitatur aequivocationi definitionis vocabuli *substantiae*. Hanc definit Spinosa id, *quod in se est, et per se concipitur*. Jam vero si illud *quod in se est*, significat *per se existere*, *et non egere ad existendum subjecto inhaesionis*, enunciatum verum est. Si notet *a se existere quin ab alio pendeat tamquam a causa efficiente*; falsum est, ut ex re ipsa, tum ex omnium Philosophorum sententia patet.

166. Huic autem postremae significationi, systema Spinosae totum inaedificatur, unde monstrosa Divinitas emergit. Spinosae namque Deus est substantia

unica, aeterna, individua, cujus attributa sunt infinita cogitatio, et infinita extensio. Res omnes aliae nihil sunt aliud, quam infinitae hujus extensionis, et cogitationis modi, qui ex naturae necessitate hujus substantiae, secundum necessarias pariter leges efficiuntur. Facile autem est ex Ontologia colligere elementorum hujus systematis contradictionem, quod etiam, everso principio falso, totum corruit.

CAPUT II.

DE LEGIBUS NATURAE MUNDI.

167. Plures e veteribus naturam mundi putarunt quamdam substantiam ab aliis distinctam, perque totum mundum diffusam, eamque *principii hilarcici*, vel *entelechiae* nomine donarunt. Huic accesssere sententiae, qui Deum animam esse mundi censuerunt. Haec apud veteres pervulgatissima opinio absurda est 1. quia hac positâ sicut animus noster a corpore ad sensationes, sic Deus a mundo tamquam a corpore suo ad perceptiones determinaretur. 2. Quia tunc animum nostrum constitueret vel ipse Deus, vel ejus particula.

168. Sunt qui hanc sententiam de anima mundi propugnarent etiam, ut Deum tollerent, docentes, in singulis materiae particulis *plasticam*, aut *vim genitricem* esse conclusam, et interiorem quamdam vitam, cujus ope singula arte quadam efficiuntur naturae, licet haec, quid facere velit, ignoret. Hanc doctrinam temperavit Cudworthus naturae praepo-

nendo Deum ipsam corrigentem, atque dirigentem. In quam sententiam concessit, ut a Deo infinitam negotiorum multitudinem averteret. « Verum, ut animadvertit Moshemius, num qui ita sentiunt, dum » Deum semper vigilantem inducunt, ne natura genitrix in vitia incurrat graviora; dum naturam hanc » judicio praeditam esse negant . . . . . isti minus » negotii, et molestiae in Deum conferunt? . . . . » Erunt qui multo et simplicius, et rationi convenientius censeant, Deum cogitare ipsum omnia, » et perficientem; quam naturam ipsi adjungere . . » . . rerum, et rationum vehementer ignaram, cujus » ille actus perpetuo moderari debeat.

169. Nos mundi naturam appellamus principium mutationum in mundo, internum eidem. Universa porro natura constituitur ex collectione omnium virium junctarum cum omnibus agendi, patiendique potentiis, quae in universis entibus creatis insunt. Quum autem vis substantiis solum competere possit; patet, universam naturam absolvi per vires omnium substantiarum, quae creatae sunt. Agimus enim ibi solum de natura entium creatorum; namque Deus auctor naturae est, qui eam condidit, eamque legibus donavit, seu eam dirigit secundum normas universales, ad quas exiguntur creatarum substantiarum vires. Ex harum legum constantia existit naturae ordo, et cursus.

170. Existere porro has leges naturae universales, patet ex constanti rerum omnium, et phaenomenorum vicissitudine, et ex omnium hominum experien-

tia, easdem semper in corporibus proprietates detegentium. Effectuum enim constantia, ostendit constantiam horum connexionis cum causis suis. Haec autem connexio constans, illud est, quod legem naturae physicae dicimus. Quod si non extarent hae leges, nulla esse posset in hominibus providentia, nullae scientiae, nullae artes, nulla certa instituendae vitae, et corporum curandorum ratio.

171. Ex his legibus aliae ad sola corpora, eorumque motus; aliae ad mutuas corporum, spirituumque actiones; aliae ad solos spiritus pertinent. Sunt aliae, quae ad naturam moralem spectant. Nobis hic solum propositum est agere de legibus naturae physicae, atque spectabilis, de quibus ita statuimus: omnis mutatio, quae in mundo spectabili fit, per motum existit (Ontol. 40); ergo leges omnes naturae physicae aspectabilis ad leges motus revocantur. Sed motus mutabilis est tum directione, tum celeritate, sive est contingens; contingentes igitur sunt etiam leges naturae physicae mundi; idcirco mutari possunt.

172. Sicut harum legum existentia; ita etiam earumdem contingentia summum Legumlatorem ostendunt, qui eas condiderit (1); quique proinde unus potest eas mutare. Omnis igitur mutatio legis universalis Deum prodit agentem, ac illa mutatio est a vi supra omnem creatam substantiam posita, et di-

(1) Id Newton vel ex una lege attractionis ostendebat.

citur *effectus supernaturalis*, qui est vel *praeternaturalis*, si in universa natura nulla est ratio cur ipse eveniat; aut *contranaturalis*, cum in universa natura est ratio cur non eveniat.

173. Effectus supernaturalis, qui ob raritatem, aut insolentiam suam, vel ratione adjunctorum excitat in spectatore admirationem dicitur *miraculum*. Hinc 1. omne miraculum est effectus supernaturalis; non autem illud omne, quod est supernaturale solet miraculum appellari. 2. Miraculum superat omnes vires substantiae creatae; idque vel absolute, si nullo sub respectu effici ab illis viribus possit, ut est *creatio*, et *annihilatio*; vel solum habita ratione adjunctorum, ut *subitanea morbi depulsio*. Primi generis miraculum dicitur *quoad substantiam*; secundi generis, *quoad modum*. Utrumque tamen ab una vi superante naturam effici potest.

174. Hinc 1. miraculum est possibile. 2. Unus Deus est miraculi causa efficiens. Unde fieri nequit, ut doctrina, in cujus confirmatione editum sit miraculum vera non sit, aut ut miraculum in iis perpetretur adjunctis, in quibus secundum prudentiae leges possint spectatores ad falsam amplectendam doctrinam induci. 3. Angelis sive bonis, sive malis non tanta est vis, ut possint veri nominis miracula facere; sunt enim intra ordinem naturae creatae, quam superat miraculorum faciendorum vis. Si quae igitur effecerint mira, quae in se quidem non sint; nobis tamen miracula videantur, haec ita erunt divinae sapientiae attemperata, ut inviti homines ad errorem minime pertrahantur.

175. Distinguitur autem verum miraculum a naturalibus malorum geniorum operationibus, praesertim si operans, operandi modus, et finis consideretur. *Operans* si pius, humilis, sanctus, aut contra. - *Operandi modus* nempe adjuncta loci, et operis; si videlicet in templo veri Dei, aut in fanis Idolorum; si publice, aut in abdito; si sancta, aut obscoena, ridicula patrata sunt, aut ad credulitatem conformata. - *Finis*, si ad Dei gloriam manifestandam, et amplificandam, atque in testimonium virtutis, et doctrinae, quae jam aliunde se sua sanctitate commendat; vel contra ad privatam gloriam, et lucrum effectus illi perpetrentur (1).

176. Neque hac ratione utimur circulo vitioso, quasi doctrinam per miracula, per haec autem doctrinae veritatem demonstremus. Sunt nempe doctrinae quaedam manifesto falsae, quae nullis miraculis tamquam verae demonstrari queant; sunt quaedam

---

(1) De miraculorum existentia constat eadem ratione ac de caeteris factis externis, et sensibilibus. Hac ratione certi sumus evenisse omnino ea facta, quae de Mose, Christo, et Apostolis narrantur; exploduntur vero Attii Navii, et Apollonii Tyanaei prodigia, quae minime a coaevis testata sunt, neque germanis tradita monumentis. - Miraculum autem esse supra naturae vires cognoscitur factâ comparatione illius effecti, cum illis, quae constanter accidunt v. g. mortui resurrectionis verbo factae, cum caeteris omnibus, qui moriuntur, et ad hominis imperium non resurgunt. Hinc ad miraculum cognoscendum non est necesse, ut cognoscantur omnes naturae vires, sed solum, ut certi simus, vires naturae eo usque non pertingere.

evidenter verae, atque sanctae; quae se ipsas evidenter demonstrant sine miraculorum accessione. Sunt tandem quaedam per se indifferentes, possibiles, et probabiles, quae tamen ob fines sapientissimos a Deo praecipiuntur, quaeque num a Deo sint miraculis indigent comprobari. Haec porro vera sunt, si ab eo patrentur, cujus pleraque doctrinae pars est sanctissima; nulla autem, vel minima, repugnans, aut ulla ratione a vero aliena. Haec enim miracula ab universo doctrinae complexu, quae evidenter sancta est comprobantur, ipsa vero tum homines excitant ad doctrinam accuratissime perpendendam, quam fortasse, illis non existentibus, negligerent; tum etiam confirmant, eam doctrinam a libera Dei voluntate hominibus revelatam esse.

177. Ad haec addimus horum effectuum multitudinem. Mirabiles nimirum effectus, qui frequentissime, et fere continenter eduntur divinae originis sunt. Secus enim homines inviti ad errorem inducerentur, quod pugnat cum Divina providentia. Hinc Magi in Ægypto sua portenta continuare minime potuerunt. E contra Moses, sicut et Christus, et Apostoli, eorumque successores prodigia et plurima, et continenter, et longo tempore ediderunt.

CAPUT III.

DE PERFECTIONE MUNDI.

178. Si Deus mundum condidit, eumque legibus donavit (169): si in eodem mundo est ordo per causas finales existens (153. 154); ergo eidem competit perfectio. Oritur enim perfectio ex conspiratione entis, ejusque essentialium ad finem (Ontol. 66); sapientissimus igitur mundi Creator aliquem sibi finem praestituit in mundo creando; omnis enim agens agit propter finem. Agens autem sapientissimus finem optimum in agendo sibi proponit. Nullus autem praestantior finis intelligi potest, quem sibi artifex ille summus in creatione proposuerit, quam suarum perfectionum manifestatio, et creaturarum rationalium beatitudo; ita ut ille primarius, hic secundarius sit.

179. Quum autem causae primae perfectiones sint infinitae, careantque gradu ultimo; sequitur, illas perfectiones semper magis, ac magis posse manifestari; posita enim quacumque manifestatione, aliae in infinitum majores, excellentioresque possibiles supersunt. Proindeque manifestatio perfectionum, quam sibi naturae conditor proposuit, esse nequit omnium maxima.

180. Interea tamen hic mundus est medium omnium optimum ad datum gradum perfectionis manifestandum, quem Creator manifestari voluit. Id enim postulat maxima conditoris ejus sapientia. Quare hic mundus est in suo genere perfectus. Neque aptior

potuisset dato huic fini creari, licet potuissent aptiores condi ad fines alios aliis praestantiores, ad excellentiorem videlicet gloriae gradum manifestandum. Nec aliquid contra colligi potest ex monstrosis. Etenim perfectio mundi non consistit in perfectione particularium, sed in eorum nexu, et enascente inde tendentia ad finem toti praefixum.

181. Ex his liquet, mundum hunc non esse omnium possibilium optimum, ut Leibnitius autumavit. Mundus enim omnium optimus is est, qui omnes mundos possibiles perfectione superat, qui nempe Creatoris perfectiones ita manifestat, ut ipsae magis manifestari absolute nequeant. Atqui hujusmodi nequit esse hic mundus (179); ergo non est omnium possibilium optimus. Mundus imo possibilium optimus involvit contradictionem; quia perfectiones infinitae nequeunt ita manifestari, ut nihil amplius manifestandum supersit.

182. Sed sapientissimus conditor nihil agere potest sine ratione sufficienti; atqui si minus perfectus mundus fuisset conditus prae excellentiori, nulla esset hujus actionis ratio sufficiens; ergo hic omnium excellentissimus est. Ita Leibnitius. - Sed 1. si major perfectio mundi possibilis fuit ratio sufficiens cur hic mundus conderetur; non igitur alius praeter istum condi potuit; quia pro hujus solum creatione fuit ratio sufficiens. Hoc autem tollit primae causae libertatem. 2. Fuit ratio sufficiens creandi hunc mundum, quia hic est in suo genere perfectus (180); ergo fuit ratio sufficiens hunc mundum creandi, licet hic non sit omnium possibilium optimus.

183. Ex quibus colligitur 1. hunc mundum esse conformem Conditoris ideae comparate ad objecta, quae ipse repraesentat, ejusque bonitati; quia in suo genere perfectus est. Colligitur 2. hujus mundi creatorem non posse traduci tamquam ambitiosum ex eo quod operis sui finis sit manifestatio suarum perfectionum; nam haec manifestatio est bonum commune omnium; aliunde vero Conditor ipse nulla privata utilitate in mundo creando duci potuit.

184. Hic finem Cosmologiae facimus, in qua brevissime sumus commorati, sed quantum satis erat, ut quemadmodum in Ontologia Deum demonstravimus esse ens necessarium, aeternum, infinitum, perfectissimum: in Psychologia esse nostri principium, et finem ultimum; sic in Cosmologia sapientissimum esse mundi Creatorem, et causam primam, ad quam nos adducunt omnia creata. Unum superest, ut de hac prima causa nunc ex professo disseramus.

PARS II.

DE SUBSTANTIA INCREATA.

185. Substantiae creatae notio sive illa spiritualis sive materialis sit, necessariam connexionem habet cum substantia increata, tamquam effectus cum sua causa, vel potius tamquam causae secundae cum causa prima, a qua illae pendent. Est igitur relatio necessaria *dependentiae* inter causas secundas, et causam

primam. Hanc primam causam appellamus Deum, de quo hic ex lumine humanae rationis agere statuimus.

186. *Scientia de Deo rationis ope acquisita* dicitur *Theologia naturalis*, ut distinguatur a *Theologia revelata*, quae Deum praelucente lumine revelationis considerat. Nobilissimam hanc Philosophiae partem etiam profanae gentes excoluerunt, ut patet ex earum *Mithologia*, et *Theogonia*. Sed rationis hac etiam de re dictamina, vel sanctissimas a primordiis temporum propagatas traditiones foedissimis erroribus polluerunt. Quae proinde licet de Divinitate opinionem habuerint; tamen sine *vero* Deo fuerunt. Quamquam *sine Deo* proprie dicuntur illi qui Deum negant, vel ignorant, vel de eo dubitant, vel ipsum incuriosum rerum humanarum praedicant, graeco vocabulo *Athei*; ita, ut qui Deum ignorant, *negativi*; qui eum negant *positivi* dicantur.

187. Quaeri vulgo consuevit num aliqui existant, qui ex animi persuasione Deum vel ignorent, vel negent, sintque Athei quidam *bonae fidei*. At docent sapientes hanc ignorantiam vix dari, vinci autem posse; idcirco Atheos plerumque Deum negare, quod metuant scelerum ultorem, quibus libere indulgere cupiunt. Quare Atheismus *invincibilis*, et *theoricus* nullus est, sed solum *practicus*.

188. Adversus hos omnes disputandum nobis est 1. de Dei existentia, non quod suboriri possit dubitatio, utrum Deus (1) existat; sed ut clarius pateat

(1) Cousinius anno elapso postquam quaedam de natura Dei,

quam miseranda sit Atheorum conditio. 2. De Dei essentia, et attributis. 3. De Dei operationibus. Sed quam brevissime in his immorabimur, quum isthaec omnia in Metaphysica generali, tum in Psychologia, et Cosmologia, magna jam ex parte fuerint praeoccupata.

189. Sed antequam disputationem ipsam adgrediamur, constituendum est, quid Dei nomine intelligamus, ut ipsius notione determinata per definitionem nominalem, vel descriptionem, statim *Theistas* inter et Atheos pateat status quaestionis. Deum igitur dicimus *primam rerum omnium causam*, sive *ens necessarium, omnibus possibilibus perfectionibus praeditum, quod universum hoc ex nihilo libere procreavit, conservat, et providentissime administrat.* Hisce praemissis ad propositam disputationem accedimus.

---

ejusque existentia velut per accidens attigisset, subito orationem abrumpens, atque veniâ ab auditoribus petitâ, quod, quasi in Deum blasphemus, vel de auditoribus male sentiens, putaret opus esse divinam existentiam probare, haec subtexuit: *non, non ma bouche ne s'efforcera pas de vous démontrer l'existence de Dieu; il parle lui même, il se révèle dans nos coeurs, et dans toute la nature. Malheur à l'homme, qui se servira de la parole humaine pour essayer de démontrer l'existence de celui qui a fait et l'homme, sa parole, et son âme!* Dieu est! *voilà la seule preuve, que je puisse vous donner de son existence.*

CAPUT PRIMUM.

DE DEI EXISTENTIA.

190. Hominis natura Deum postulat. Nobis sane melius consulitur, si parens optimus extet, cujus sapientia sortes nostras temperet, spem bonorum sustentet, improbos coërceat, quam si caeca necessitate premamur, eodemque sit loco qui sibi similes beneficio constringit, ac ille, qui eosdem crudelissime jugulat. Sublato enim Deo, actum est de privatorum hominum securitate: omne tollitur in miseriis solatium, omnisque spes felicitatis: omnis auctoritas sine fraeno relinquitur: subditi sine moribus: societas universa sine principiis, et vinculis.

191. Quae enim vero animi quies cum nulla naturale beatitatis desiderium explendi spes affulget: quum conflictandum est cum morbis, inopia, calamitatibus sine praemii expectatione: quum bona praesentia, quantumvis accumulata, cupiditates nostras non satiant, sed irritant: quum tristes rerum vicissitudines perpetuo metuendae sunt: quum demum omnia vitae hujus commoda absque melioris fiduciâ deserenda sciuntur? Quae societas in Atheorum hypothesi, in qua, sublato Deo, aut opinione de ipsius existentia, lex naturae, internumque actuum humanorum discrimen tollitur, atque omnis legum civilium auctoritas in sola cogendi potestate, et in virium magnitudine, non in jure ullo fundatur? Norunt Principes, praecipuam imperii basim in cultu Divino, et reli-

gione sitam esse. Hinc subditorum officia jurejurando confirmari quotannis praecipiunt. Norunt id Legumlatores ; quapropter in legum suarum vestibulo, Dei Supremi Legumlatoris notionem semper ingerere studuerunt. Atheorum respublica, quam Baylius sibi confinxit paradoxon est (vide Psych. 120). Ex his colligitur quam optandum sit non solum privatis hominibus, sed etiam societati universae, ut Deus existat (1).

192. Quid si quod adeo est optandum nequeat sine periculo ignorari ? Ita est : si namque Deus existit,

---

(1) Verum Baylius ait : Athei per rationem, qua pollent aeque ac alii homines possunt justum ab injusto discernere, virtutem exercere, obedientiam principibus, charitatis officia civibus exhibere. Ad quae etiam impelluntur laudis, et gloriae stimulis. Hinc Diagoras, Theodorus, Epicurus, Lucilius, Vanini, Spinosa, licet Athei; attamen vitae probitatem, comitatem in omnes, obedientiam in Principes non deseruerunt - Sed contra : si saepe societas periclitatur Dei vindicis dogmate constituto, quomodo stabit eo sublato, ubi nullus sit metus potentioris coercitionis, et societas universa in singulis suis membris vitiata sit, ut sunt homines in scelera proclives? Quid gloriae stimuli ad virtutis semitam per se se arduam sectandam ? Quid hi in rudibus ? An non gloria obtinetur etiam per potentiam, et divitias ; iidem erunt igitur ad haec etiam impulsus, et nullo discrimine cujusque jura cupiditatibus alterius patebunt - Neque proficit Baylius exemplis adductis. Potest enim Atheus in Theistarum societate constitutus affectare honestatem horum vel exemplo, vel religione, vel legibus. Sed pone societatem Atheorum, quaenam erunt vitiorum fraena, et ad virtutem incitamenta? Nec laboro de illorum honestate, quos in exemplum adduxit, quorum aliquos sceleribus inquinatos novimus, de aliis autem num honesti fuerint jure dubitamus.

ab eo pendent sortes nostrae. Non est igitur alia gravior inquisitio, cui proinde serio incumbendum est, quum nihil ad immortalis animi cultum, nihil ad rectam morum conformationem (a qua non singulorum modo, sed totius etiam reipublicae salus pendet); nihil ad profligandos impiorum errores magis conducere possit, quam studiosa Divinorum attributorum meditatio.

193. Sed ante hanc quaestionem: *Sitne Deus?* Illud quaerendum esse videtur, *Sitne possibilis prima causa?* Negat ne Atheus? Ergo, repono, nec secunda, nec tertia, nec ulla (ont. 54); aliunde vero processus causarum in infinitum excurrens absurdissimus est (cosm. 156); repugnat igitur primam causam non esse posibilem. Si possibilis est; ergo existit (ont. 28. 29). Quum prima causa sit Deus; hic igitur existit.

194. Quod revera existat Deus quadruplex argumentorum genus evincit; nempe argumenta ontologica, psychologica, cosmologica, et moralia; et quadruplex testimonium confirmat, videlicet rationis, sensus intimi, sensuum externorum, et generis humani.

195. Argumenta ontologica rationis testimonio innixa ea sunt omnia, quibus in Ontologia demonstravimus ens necessarium existere tum ex eo quod habeat in se rationem sufficientem existentiae suae; tum ex eo quod existat ens contingens, quod repugnat existere posse si non existat ens necessarium. Revera omnia, et singula quae in mundo sunt ita

existunt ut potuerint non existere, vel alio modo existere. Proinde nulla earum in se habet existentiae suae causam, seu singula spectentur, seu simul sumpta. Rerum enim collectio nihil addit propriae indoli, et conditioni singularum. Ergo earum existentiae ratio sufficiens erit in alia causa, quae semper extiterit, quamque repugnat aliquando non extitisse. Huc tendit ferme omnis Ontologia nostra.

196. Haec autem argumenta jam per se invictissima robur adhuc accipiunt ex argumentis psychologicis sensus intimi testimonio innixis. Se ipsum consulens homo 1. irrequietis sciendi, fruendique desideriis se urgeri sentit, nulla veritatum, bonorumque finita serie complendis; una igitur summa veritate, quae simul summum bonum sit, explenda sunt. 2. In veritatem, et honestatem inclinare se quoque experitur, abhorret a mendacio, et ab improbitate; ergo aliqua est aeterna regula per quam, et veritas, et virtus definiri possit; aliquis custos honestatis, scelerisque ultor, quem revera quaerit bonus animus, malus autem reformidat. 3. Sentit se tendere ad societatem; haec porro nulla sine summo Legumlatore, et sine lege naturali (vid. sup. n. 191). Sentit multa, ex quibus cognoscit se habere animam, eamque immortalem; haec porro finita est, dependens, nec enim semper extitit; ergo causa prima est, sive Deus existit, a quo illa fuit creata, et a quo pendet, quique manifestavit se velle illam immortalem, poenis videlicet, aut praemiis in perpetuum afficiendam (1).

(1) Quum hae omnes propensiones sint in anima, quae imo

197. Sed jam a se ipso ad mundum aspectabilem exeat homo, et sensibus externis eumdem consideret: oculis coelum contempletur, solem, lunam, astra, eorum conversiones varias, constantes, magnitudinem, numerum, pulchritudinem, ordinem; terram intueatur, varietates ejus, atque divitias, et incolas, horumque multiplicem conditionem, numerum, crassitiem, exilitatem, indolem, dexteritatem, robur, structuram, alteri servientem industriam; ex his hominem praesertim observet, atque perpendat, ut oculus factus sit ad videndum, auris ad audiendum, ac minimae partes ad fines sibi proprios dirigantur, et media sint omnia in promptu. Sentiat ambientem aerem, unde utilis pluvia, et ros saluberrimus, et venti opportuni, et plantarum vegetatio, et animantium vita. Nares delectentur suavissimis odoribus; gustus alimentis hominis vitae varie, apteque inservientibus. An non tantum opus artificem summum prodit? An non tanta pulchritudo, tanti effectus uno simul ordine colligati, primam, eamque sapientissi-

---

facta est ad imaginem et similitudinem Dei, quem indesinenter, et in omnibus quaerit, quique ipsam penitus ad se conversam creavit; quomodo consistere poterit *statua* illa Condiliaci atque Bonneti? quomodo vetustissima illa *tabula nuda*, quam ex Aristotele arripuit Baco, et Lockius? Quam male isthaec cum animae natura, et indole cohaerent! Satius Cicero in Tusc. l. 3. c. 1. ajebat, igniculos nobis dedisse naturam, et ingeniis nostris esse innata virtutis semina, quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret.

mam causam ostendunt? Ergone horologio, alterique machinae, vel domui artifex erit, mundo non erit? Vide Cosmologiam, in qua etiam ex motu primum movens deducimus, praesertim num. 160. Huc etiam refertur experientia, qua constat, humana quaevis a tenuibus primordiis coepta, paulatim amplificari: uti societatis progressus ab una familia, cujusque gentis origines, et tenuia exordia, scientiarum, artiumque a rudissimis lineamentis initia. Sane id omne quod progreditur initium habuit (1).

198. Si ratio cujusque, si sensus intimus, innataeque propensiones, si spectabilis mundus, et omnia quae in eo sunt, Deum esse praedicant, et homo ipse hymnus est praecipuus Divinitatis; quid mirum, si universum genus humanum velut hujus hymni cantor unanimis accedit? Ita est. Habetur hanc in rem adeo universalis hominum consensio, ut si terras obeas, ex Plutarchi sententia, invenire possis urbes muris, litteris, theatris, opibus, numismate carentes; Diis vero destitutas non invenias. Id ipsum tradit Tullius (2), dum ait nullam esse gentem tam feram, tamque immanem, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Ceterorum autem seu veterum, seu om-

(1) Qui post haec audeat asserere, nullam esse rationis cujusque auctoritatem, et rationibus naturalis non posse Dei existentiam demonstrari, non video quomodo possit Atheos refellere, et religionis naturalis ponere fundamenta.

(2) Tusc. quaest. lib. 1. num. 13. Quae sensa repetit ipse, lib. 1 de legib., et in lib. de nat. Deorum, tum Seneca ep. 117.

nium consequentium aetatum hac de re. Testimonia sunt adeo copiosa, et luculenta, ut iis referendis immorari supervacaneum esse videatur. Accedunt iisdem viatorum relationes de barbaris gentibus: polytheismi, legum, praemiorum, poenarumque historia: persuasio discriminis inter bonum, et malum, conscientiae terrores, et pax: societas ipsa, eaque omnia quae ex hoc fonte ducuntur ad animorum immortalitatem demonstrandam: Atheorum molimina ipsa, totidem sunt hujusce universalis consensus testimonia: cujus vox quum sit habenda velut infallibilis vox naturae, concludimus inde invincibile testimonium haberi existentiae Dei (1).

(1) Huc faciunt, quae recentiores attulerunt Archeologi, et Paleographi, praesertim e Nostratibus dum Ægyptia Musaei nostri monumenta illustrarent. Hi enim vetustissimis Inscriptionibus, Legendis, Papyriis linguâ Ægyptiâ, Jeraticâ, Jeroglyphicâ exaratis, quae vel in Sarcophagis Mummiarum, vel in eorum tegminibus leguntur, laudes, invocationesque Diis Tutelaribus exprimi testantur, horumque picturas, vel sculptas imagines extare, eadem ratione, qua Romani sepulchra *Diis manibus* inscribebant. Accedunt Rituales preces iisdem papyriis exaratae, et laudes regum, qui perhibentur Diis, praesertim autem Ammoni charissimi, Ministri Dei viventis Phtah, quorum etiam animi a celsioribus Deorum sedibus demissi ad easdem post mortem reverti arbitrabantur. Accedunt, quae nuperrime Paraveyus attulit, ut ostenderet linguarum omnium originem ab uno populo, qui in Asiae centro primam sedem habuerit, quique idem est ac populus Antidiluvianus a Moyse descriptus.

Solvuntur objecta.

199. 1. Nullam, ajunt Athei, possumus habere ideam Dei; infinitum enim a mente finita comprehendi non potest; ergo Dei existentia nequit demonstrari, eo vel magis, quod si Deus existeret, prima esset veritas, cujus nulla esse potest demonstratio; nihil enim demonstratur nisi per aliquod prius; nihil autem est prius Deo, ad quem nullam res creatae relationem dicunt.

200. R. Non possumus Dei essentiam comprehendere, sed ipsius existentiam rite cognoscimus ex effectibus assurgendo ad causam. Quare sin a *priori*, at saltem a *posteriori* Dei existentia invictissime demonstratur. Unde quoque patet, inter res creatas, atque Deum esse relationem *connexionis*, et *dependentiae*, qualis est effectum inter et causam.

201. 2. Contendunt nullam esse necessariam connexionem inter ens contingens, et necessarium, quia hoc potest sine illo existere, quod non esset, si necessaria foret inter utrumque connexio.

202. R. Contingentis existentis est necessaria connexio cum ente necessario, adeo ut involvat contradictionem, illud sine hoc existere, eadem ratione, qua verum consequens cum suo antecedente necessario connectitur, et effectus cum sua causa. Ex quibus patet, etiam intercedente hac necessaria connexione, posse ens necessarium existere sine ente contingente, ut antecedens sine consequente, causa sine effectu, non viceversa.

203. 3. Inquiunt, ordinem hujus mundi nobis incognitum esse, quia pendet ex omnium partium inter se relatione, quae nos latet. Addunt, mundum universum non paucos insipientiae characteres praeseferre, et imperfectiones exhibere; idcirco ex ejus intuitu colligi non posse sapientis Creatoris existentiam.

204. R. 1. Nos in hoc mundo deprehendimus aptissimam consensionem mediorum ad finem, et mutuas relationes inter multas hujus universi partes, atque fines particulares, v. gr. cognoscimus oculos ad videndum, aures ad audiendum esse comparatas, aliaque innumera, quae aptissime suis peculiaribus finibus respondent. Quod sufficit, ut inde Creatorem sapientissimum colligamus. 2. Quae in hoc mundo nobis videntur vitia, et defectus, non insipientiae Creatoris tribuenda, sed ignorantiae, et brevitati mentis nostrae, cui non licet concentum alicujus partis cum omnibus deprehendere. Sed sicut horologii partium varietas, et ad eumdem finem omnium conspiratio artificis industriam probant, licet vir ignarus aliquarum rotularum utilitatem mente non complecteretur; multo magis id asserendum quum agitur de opere immenso hujus mundi. 3. Si quaedam occurrant, quae nobis a consuetis aberrare videantur, haec ut naturae ludi (1) habendi sunt, qui illustrio-

(1) Deus, qui ludit in orbe terrarum, hos veluti naturae ludos ipse voluit, atque illorum constantia ipsius sapientiam commendat, qui opus suum sine experimentis, sine tentaminum progressione, sed statim ab initio, quale nunc est, numeris omnibus absolutum exhibuit.

rem efficiunt totius universi pulchritudinem, quemadmodum umbrae coloribus interspersae tabulam pictam faciunt visu magis delectabilem, et concentus musicus aures magis aliquando demulcet, si toni quidam dissoni consonantibus intermisceantur.

205. Ultimo ita arguunt: 1. constat ex veterum viatorum relationibus integras fuisse nationes nullam Supremi Numinis notionem habentes. 2. Veteres Philosophi consentiebant materiam esse aeternam, proinde nullum Deum admittebant. 3. Apud Sinenses etiamnum est Litteratorum secta, quae Atheismum profitetur. 4. Plures populi plures Deos admittunt; ergo nullum. 5. Unanimis aliquando fuit hominum in falsas quasdam opiniones consensus; ergo potest etiam esse falsa populorum opinio de Divinitate admittenda. 6. Legumlatorum, et Principum ars, vel hominum ignorantia circa res naturales, vel metus, vel educationis praejudicia Deum in orbem terrarum invexerunt.

206. Ad 1. Viatorum relationibus non facile est adhibenda fides 1. quia multi eorum non satis commorati sunt apud illos populos, ut eorum mores explorarent. 2. Quia ipsorum linguam, vel non omnino, vel non satis callebant, quo factum, ut quidam populi sine Deo dicerentur, quos post cognitum eorum idioma, variis quidem foedatam superstitionibus, attamen aliquam Divinitatis notionem habere compertum est, ut de Canariensibus, et Caraibis Antillarum nominatim affirmare possumus. Licet autem quidam extarent barbari ita extra morem omnem pro-

jecti, ut Deum ignorarent; nihil inde adversus consensum humani generis (psych. 112).

207. Ad 2. Qui ex antiquis Philosophis materiam aeternam credebant creationis dogma negantes, confitebantur simul, nonnullis exceptis, mentem aliquam intelligentem ordine hanc materiam donasse, cujus nutu eadem in ordine accepto constanter perseveraret. Ergo errabant quidem veteres Philosophi, non Athei fuerunt.

208. Ad 3. Sinenses Litterati libros Confucii commentantur, et venerantur, in quibus inter cetera verae honestatis scita, unius Dei omnium Conditoris, et Moderatoris fides sine ulla ambiguitate proponitur.

209. Ad 4. Polytheistae licet errarent in eo quod plures Deos colerent, essentque sine Deo hoc sensu, quod Deus multiplex nullus est; attamen Athei dici non poterant. Nempe non errabant in eo quod Divinitatem colerent, cujus ideam omnes habebant, in eamque consentiebant; sed in eo, in quo dissentiebant, videlicet qualem colerent. Interea ante Polytheismum unus Deus colebatur; semperque apud aliquos cultum habuit. Nobiliores Philosophi unum Deum agnoscebant etiam Polytheismi temporibus, licet Polytheismi hypothesis faveret cupiditatibus, atque Sacerdotum astutia foveretur.

210. Ad 5. Errores qui in objectione tanguntur, lapsu temporum emendati sunt; Dei autem existentis opinio magis confirmata est. Ad haec: opiniones illae difficiles, omnium captui parum accommodatae,

mere speculativae, non practicae, non cupiditatibus adversae, et ita parvi erant momenti, ut nulla fuerit eas scrupulosius excutiendi necessitas. Longe aliter se habere opinionem de existentia Dei quisque statim intelligit.

211. Ad 6. Jam responsum est in Psychologia (121). Addimus id gratis asseri: vigere opinionem Divinitatis etiam apud illos, qui sine cultu civili vitam degunt agrestem; neque ab ignorantia ortum habuisse Dei existentiae opinionem, quae magis imo confirmatur prout rerum naturalium cognitio perficitur; neque a metu, quia ipsi haesere tot fortissimi viri, qui mortem spreverunt, aliunde vero Numinis notio consolationis plenissima est, solis impiis, quales illi sunt, qui se Atheos jactitant, formidabilis.

212. Concludamus igitur: invictissimis argumentis probatur Supremi Numinis existentia: quae opponuntur, levissima sunt, a liberrimis hominibus excogitata, quorum interest ultorem scelerum a cervicibus removere. Alia ex parte Atheismus est perniciosus societati, quam a fundamentis evertit, noxius privatis familiis, in quibus probitatem extinguit; proinde exeerandus est, et publica coërcendus auctoritate: amplectendus autem ex animo Theismus. Quid si haec omnia non nisi dubitationem de Dei existentia injicerent? An non in dubio tutius est, ubi praesertim de summo bono, vel malo agitur, eam partem amplecti, quae si falsa est, nullum detrimentum affert, si autem vera in maximum adducit discrimen? Ita est in hac causa: Theistarum sententia tutissima est; Atheorum vero in horrendum discrimen injicit.

CAPUT II.

DE DEI ESSENTIA, EJUSQUE ATTRIBUTIS.

213. Quaestionem *num Deus sit?* altera excipit *quid Deus sit, et qualis?* Seu quaenam sit Dei essentia, ejusque attributa essentialia? Qua in causa dicerem libentius cum Augustino quid Deus non sit, quam quid sit. Interea patet ex notione essentiae metaphysicae, hanc, ubi agitur de Deo, reponendam esse in ejus *existendi necessitate.* Haec primo concipitur in Deo, eâque positâ, cetera ponuntur, quae de Deo praedicari possunt, nempe ex ipsa descendunt omnia Dei attributa (1).

214. Dei attributa vocamus *illas proprietates, quae Deo conveniunt, quaeque a necessitate ipsius existentiae promanant.* Omnia porro Dei attributa ex ejus existentiae necessitate manare, patet ex eo quod ens necessarium involvat notionem plenitudinis entis, omniumque sine limitibus perfectionum, juxta illa ipsius Dei verba: *ego sum, qui sum.*

215. In his attributis distribuendis varias rationes sequuntur Metaphysici: nempe ea tribuunt in *relativa*, et *absoluta*: in *actuosa*, et *quiescentia*: in *physica*, et *moralia*: in *positiva*, et *negativa*: in *com-*

(1) Dico essentiam Metaphysicam; nam essentia Dei Physica vel in spiritu infinito; vel in complexione omnium attributorum ejus est constituenda.

municabilia, et *incommunicabilia*. Nobis, nulla facta divisione, placet demonstrationis seriem ita disponere, ut unum attributum Divinum sit alterius veluti principium; omnia vero ab entis necessitate hauriantur. Itaque

Deus est ens necessarium.

216. Existit enim vero causa prima (Th. nat. 193 et in Ont. passim), et quidem necessitate essentiae suae, secus contingenter existeret, fuissetque aliquando in statu possibilitatis, a quo ad existentiam ab alio fuisset traducta; unde non esset causa prima, et in absurdissimum causarum progressum in infinitum incideremus. Ergo causa prima est ens necessarium, cujus videlicet essentia involvit existentiam. Prima causa est Deus; ergo Deus est ens necessarium.

Deus est independens.

217. Deus est ens necessarium: huic existentia necessario convenit: proinde est *a se*: quod est *a se*, a nemine pendet, alioquin nec necessarium esset, nec a se; ergo Deus est independens. Hinc etiam est impassibilis; omnis enim passio arguit dependentiam ab alio.

Deus est immutabilis.

218. Deus est ens necessarium, et independens; ergo immutabile (Ont. 29); qui enim a nemine pen-

det, a nullo potest mutari, — sed ajunt: ille, quem poenitet, qui sua decreta revocat: qui precibus movetur: qui modo diligit, modo odio habet: qui ex non creante fit creans, ille inquam mutatur; atqui haec de Deo possunt praedicari; mutatur igitur Deus. — R. Nullus in Deo locus esse potest poenitentiae, cui nihil potest praeter expectationem contingere: hinc nec sua revocat decreta etiam hominum precibus; sed omnia ab aeterno praevidit, et quae facit, etiam ab aeterno se facere constabilivit, et parcere cui parcit, precibus intercedentibus, et odio habere improbum pro suae improbitatis tempore, justumque pro justitiae tempore diligere. Sic etiam ab aeterno voluit creationem in tempore; creando igitur novum solummodo titulum acquisivit ex parte creaturae. Itaque Deus non mutatur neque in suis decretis; neque novi aliquid in eo contingit; sed solum est animadvertendum saepissime, et accommodate ad nostram intelligentiam, Deo tribui affectus humanos, ut v. g. quum Deo poenitentia, ira, et similia tribuuntur.

Deus est infinitus.

219. Deus est ens necessarium; ergo habet omnes realitates possibiles, illimitatas (Ont. 28); scilicet est infinitus. Ac 1. *infinitus loco,* seu *immensus* (Ont. 44), et omni loco *praesens*; secus si vel ab uno loco absens fingi posset, non repugnaret ab omnibus locis abesse; idcirco non esset ens necessarium. In omni loco *operatur*, quum omnibus creaturis motum, vi-

tamque tribuat, omnia conservet, et dirigat. - Cur igitur, ajunt, in coelis sedem propriam habere dicitur? quia nempe illic maxime manifestat gloriam suam. Eritne igitur Deus spatium immensum? Cave ne id putes. Nam Deus utpote ens necessarium, est simplicissimus (Ont. 31) et totus seu *essentiâ* ubique; ergo non est extensus. Extensio enim habet partes extra partes positas. Quî ergo Dei immensitas concipi potest? Deum immensum esse debere concipitur; quomodo autem sit immensus, eo ipso quod immensus sit, minime a mente finita concipi potest. Hinc 1. Deus est incorporeus, et immaterialis. Corpus enim, et materia sunt loci limitibus circumscripta. 2. Est spiritualis; est enim substantia incorporea, et spirituum nostrorum creatrix. Aliunde ens necessarium esse nequit corporeum (Ont. 31). Abeant igitur Pantheistae, et Anthropomorphitae.

220. 2. *Infinitus tempore*, seu nullo tempore circumscriptus, et *aeternus*. Deus enim est ens necessarium, independens, a se; ideoque semper extitit (Ont. 27 Th. nat. 193). Aliquid ab aeterno extitisse adeo evidens est, ut nemo id unquam negaverit; sicut enim spatio, ita et tempori impossibile est ponere limites, ultra quos menti progredi non liceat. Hinc illi qui Deo aeternitatem negarunt, materiae absurdissime tribuerunt. Haec autem Dei aeternitas non potest constare ex physica momentorum successione; alioquin ex totidem finitis infinitum constitueretur, quod repugnat (Ont. 44). Erit igitur Dei aeternitas, ut ait Boëtius *interminabilis vitae tota simul, et perfecta possessio*.

221. 3. *Infinitus potentiâ*, seu *omnipotens*. Ens enim necessarium a nullo pendet, habet in se rationem sufficientem existentiae suae, et omnium entium existentium. Mundum enim creavit (Cosm. 156 et seqq.); potentia creandi est infinita. Nullum autem possibile aut aliquid producere, aut repugnare potest effectioni sui ipsius; sed omnia possibilia et passive, et aequaliter indifferentia sunt, ut producantur, vel non producantur. Potentia igitur aliquid procreandi, omnibus possibilibus procreandis sufficit, scilicet est infinita (Cosm 161). Proinde hujusmodi potentia nulli enti finito competere potest. Competit autem Deo; ergo est infinitus potentiâ, seu omnipotens. - Sed Deus nec peccare, nec mentiri potest; cur? quia videlicet, haec imbecillitatis sunt, atque repugnant.

222. 4. Est infinitus perfectionibus infinitis. Ens enim necessarium habet omnes possibiles realitates infinitas (Ont. 28) et plenitudinem entis. Perfectiones autem omnes possibiles, et infinitae sunt entia; Deus igitur est in omni perfectionum genere perfectissimus. Revera si vel una perfectio a Deo abesse concipi posset, omnibus carere facile conciperetur; idcirco non esset ens necessarium. Hinc

Deus est omniscius.

223. Deus utpote ens necessarium est perfectissimus; scientia omnium maxima, seu omniscientia est perfectio; Deus igitur est omniscius. Insuper, Deus

est omnium causa; omnia igitur cognoscit, omnes videlicet veritates sive necessarias, sive contingentes; fines quoque rerum optimos, aptissima iis consequendis subsidia, singulorum finium, et subsidiorum ordinem, quo simul omnes inter se consentiunt, et ad finem unicum, universalemque contendunt; videlicet *sapientissimus* est, a quo emanat quidquid sapientiae in homine est, et in admirabili mundi structura conspicitur. Proinde pollet Deus *intellectu infinito.*

Deus est summe liber.

224. Deus est ens necessarium, independens, et perfectissimum. At summa libertas est perfectio; ergo repugnat Deum summa libertate carere in actibus suis externis. Sane a quonam potest ad agendum determinari ens quod habet in se rationem omnium sufficientem, et a nullo pendet, estque omnipotens, et omniscium? Quod si careret libertate causa suprema, omnia caeco fato raperentur: nulla essent in mundi machina sapientiae indicia: nulli effectus limitibus donarentur; causa enim infinita, et necessaria, infinitis semper viribus necessario ageret, semperque omnia possibilia produceret, nec ea, quae produceret aliter esse possent ac sunt. Quapropter nihil esset contingens. Hinc est in Deo perfectissima voluntas, eaque liberrima, quod etiam ex causis liberis creatis demonstratur (Ont. 54).

225. Sed contra: si Deus est liber, ergo peccare potest, ut homines: 2. non est immutabilis; non

potest enim cum libertate immutabilitas conciliari. R. Ad 1. Libertas Dei utpote perfectio infinita in bonum eligendum unice inclinat, qua in re posita est libertatis essentia, ad quam non pertinet peccandi facultas nisi ex illius defectu, seu prout in causa deficiente consideratur libertas, non prout est in ente, in quo sint omnes possibiles realitates illimitatae. - Ad 2. Deum esse immutabilem, et liberum, constat evidentiâ metaphysicâ: habemus duos catenae annulos; quomodo conjungantur ignoramus. Num igitur negandi et annuli, et eorum conjunctio? Qui optima semper agit sapientissime, et omniscienter, mutari non potest, licet liberrime egerit. Mutatio enim supponit ignorantiam, et consilii defectum. - At reponunt: si Deus liber esset, omnia creare posset, quo exhauriretur ejus omnipotentia. - Ajo ego, hanc difficultatem urgere eos qui Deum inducunt omnia necessario agentem (vid. sup. n. 224).

Deus est summe bonus.

226. Deus utpote ens necessarium, et a se, habet omnes possibiles realitates illimitatas; atqui bonum est ens. Habet igitur Deus bonitatem infinitam. Habet videlicet voluptatem benefaciendi, et communicandi felicitatem iis, quos condidit felicitatis capaces, ejusque studiosos. Maleficio autem ii soli delectantur, qui aliquibus indigent; quod non est Dei; qui propterea non potest velle hominum miseriam, nisi mereantur. Itaque unus ipse super omnia diligendus est; cetera propter ipsum.

Deus est summe verax.

227. Verum et bonum convertuntur (Ont. 21); si igitur Deus est summe bonus, est etiam snmme verax. Insuper, veritas perfectio est et realitas; Deus autem perfectissimus continet omnes realitates illimitatas. Si deesset in Deo veracitas, nec sapientissimus esset, nec ens necessarium. Est igitur summe verax. Hinc 1. discrimen est essentiale inter verum et falsum, et hoc discrimen ostendit supremae veritatis existentiam. 2. Deus mentiri non potest, nec datam fidem violare, nec quacumque ratione fallere. Cur enim falleret? an ex ignorantia? sed est omniscius. An ex malitia? At est summe bonus? an spe commodi, aut metu cujuspiam incommodi? At perfecte sibi sufficit, et beatissimus est. Cum igitur mentiri nequeat Deus, sitque infallibilis, ea quae revelaverit, sine dubitatione ulla credere oportet, licet captum humanum superent, sive mysteria sint.

Deus est summe justus.

228. Oritur justitia ex summa bonitate sapienter administrantis, estque perfectio; ergo Deo convenit sine limitibus. Hinc praemia, et poenas pro meritis dividet, singula et omnia gubernans ad ordinis universitatem. Hinc animus hominis est immortalis.

Deus est unus.

229. Deus, ut ex dictis patet, est summum magnum, primum, est ens necessarium; atqui ens hujusmodi est unum (Ont. 28). Ergo Deus est unus. Hinc patet quam absurda sit Manichaeorum opinio duo admittentium principia, quorum boni unum, mali alterum auctor sit. Nam vel horum unum praestat alteri, vel sunt aequalia; si primum: quod vincit, impedit victum sibi oppositum, ne agat. Hoc idcirco iners caret attributis causae primae. Si alterum, utrumque ita libratum alterius potentiâ otiaretur continuo, nullaque umquam essent bona, vel mala. Tum etiam: vivitne principium malum? Ergo habet bonum vitae; proinde non est summum malum. Si nullum omnino bonum habet; ergo non est particeps entis, et nihil aliud quam perfecta negatio entitatis, ac merum nihilum. Praetereo aeque absurdum Polytheismum, ruit enim per se, iisdemque argumentis ac Manichaeismus refellitur. Hinc Pagani licet plures Deos colerent; attamen unum habebant Deorum principem, ad quem in subitis motibus adversisque rebus, natura impellente, mentem dirigebant, manus oculosque cum suspiriis. Vide sup. n. 209.

CAPUT III.

DE OPERATIONIBUS DEI.

230. Dei operationes hic eas tantum spectamus, quae ex Divinis attributis, Deique natura solo ratio-

nis lumine cognita colliguntur. Has nos hic revocamus ad creationem, de qua jam egimus alias, ad mundi gubernationem, et providentiam. 1. Igitur Deus mundum gubernat.

231. Gubernatio est *directio optima mediorum, et actionum ad finem communem*. Sed causa prima, omnipotens, omniscia, omnibus praesens potentiâ, operatione, essentiâ, perfectissima, sapientissima, debet singula quae creavit ad finem optimum quam optime dirigere; Deus autem est causa isthaec, quae mundum creavit ut medium aptissimum (Cosm. 178 179) ad optimum finem sibi praestitutum consequendum; ergo Deus hunc mundum, et omnia quae in eo sunt, gubernat, eorumque curam gerit. 2. Deus providet mundo.

232. Providentia *est cura Dei de rebus creatis*. Est autem vel *generalis*, vel *specialis*. Illa omnibus entibus totius universi; haec singulari ratione quibusdam rerum creatarum generibus impenditur. Utramque negant Deistae (1). Jamvero si Deus omnia, et singula creata dirigit ad finem optimum, si hunc mundum, et omnia quae in hoc mundo sunt, gubernat, eorumque curam gerit (num. 231) etiam horum omnium providentiam habere exploratissimum est.

233. Cur autem omnia, et singula, quae creavit

---

(1) Deistae sunt illi, qui Deum quidem se admittere profitentur; sed negant, illum habere rerum humanarum procurationem, vel hanc ad sublunaria, et ad minima extendi.

non etiam curat Deus? Num quia minima sunt, aut supremae causae majestatem non deceat sublunaria spectare, curam sibi de muscis, et formicis sumere? Sed si curare dedecet, cur non creasse? Quis artifex negligat operis sui curam? Quis deserat quod ipse condendum putavit? Nihil discriminis inter maximum, et minimum apud primam causam efficientem. Quae minima sunt apud nos, aeque manifestant omnipotentiam, ac maxima. Majora sunt adeo cum minoribus copulata, ut illis provideri nequeat, quin isthaec etiam curentur: et partium elegantia sine minimis non habetur. Ad haec ait Plato: *si Deus neglectis minoribus, in solis occupatur majoribus, aut penitus res mundanas non curat, id ideo fit, vel quia omnibus administrandis par esse mens illius, ac potestas nequit; vel quia non vult, tametsi potest: neutrum autem Deo convenit.* Quod etiam urget Tullius de nat. Deor. lib. 2. c. 30. Num curam suscipere turbat supremi Entis felicitatem? Erras qui haec cogitas. Cura haec nihil laboris, nihil molestiae habet; non enim laborat in agendo quis in iis, quae solus in sua potestate habet, et alia re non indiget nisi sua voluntate; atque potentia infinita agit in re finita (1).

(1) Aureus est locus apud Xenophontem de dictis et fact. Socratis lib. 1, ubi Socrates hac ratione cum Aristodemo disputans inducitur: « Animadverte, mentem tuam etiam dum inest in cor» pore, ex arbitratu suo corpus gubernare. Quamobrem existi» mandum est, sapientiam illam, quae est in hoc universo, omnia » regere, quemadmodum ipsi gratum est. Num tuus oculus ad

Sed cur laboramus in asserenda Divina providentia, quam praedicat rerum creatarum elegantia, concinnitas, ordo, consilium? Paucis: providentia Divina est consectarium eorum quae hactenus in Metaphysica tradidimus.

234. Notio Divinae providentiae involvit etiam conservationem entium creatorum, et concursum ipsius Dei ad eorum actionem. Nam in Deo est ratio sufficiens omnium realitatum; continuatio existentiae est realitas; hujus igitur ratio sufficiens est in Deo. Quare Deus conservans entia creata, singulis veluti momentis eadem creat, quo fit, ut hujus conservationis cessatione ens creatum in nihilum abeat.

235. Si in Deo est ratio sufficiens omnium realitatum, quum vires entium sint etiam totidem realitates; eas quoque singulis momentis conservat; seu,

---

» multa usque stadia pertingere potest, et non potest Dei oculus » simul omnia intueri? Numquid tuus animus tum de rebus, quae » hic accidunt, tum de illis, quae in Ægypto sunt, et Sicilia, » cogitare potest, et non potest Dei sapientia simul omnium ha- » bere curam? » - Merito igitur Tullius post relatas lib. 1 de nat. Deor. cum quodam contemptu Epicureorum opiniones contra Dei providentiam, *magnos et nobiles* vocat Philosophos illos, *qui Deorum mente, et ratione omnem mundum administrari, et regi censent, neque vero id solum, sed etiam ab iisdem vitae hominum consuli, et provideri.* Quod etiam testatur communis naturae sensus, sive ea animi nostri comparatio, qua tacito naturae impulsu res nostras Deo curae esse judicamus; nam et in nostris necessitatibus statim ad Deum, precesque confugimus; et in repentinis perturbationibus, et timoribus sine electione, neque deliberate, sed naturâ docente, Dei nomen invocamus.

quod idem est, concurrit ad actionem entium creatorum, ita ut in hoc concursu se se eorum naturae accommodet. Nempe efficit, ut necessario agant causae necessariae, libere vero, quas Ipse liberas creavit, iisque vim indidit, qua se se determinarent ad actionem; ad quam tamen etiam concurrit non ipse eligendo, sed potius ex determinatione causae liberae si de actu moraliter malo agatur, aut tribuens eam vim causae liberae, ut se se determinet ad actum bonum.

236. Contra Divinam providentiam pugnant Athei. 1. Ex multiplici malorum genere, quae sunt in hoc mundo. 2. Ex eo quod mala bonis, bona malis hominibus contingant, et ex inaequali bonorum distributione. 3. Ex eo quod multae gentes videantur in ipsa legis naturae ignoratione versari. 4. Ita ratiocinantur: *vel Deus vult tollere mala, et non potest; vel potest, et non vult; vel nec potest, nec vult; vel vult, et potest. Si primum imbecillis est; si secundum, invidus; si tertium, imbecillis, et invidus; si quartum, unde ergo sunt mala?*

237. Ut haec enodarent Manichaei absurdam duorum principiorum hypothesim commenti sunt. Leibnitius Optimismum excogitavit. Nos generatim observamus, haec objecta inde proficisci, quod totius naturae ordinem minime perspectum habeamus. Est enim respectu nostri immensus, infinitus, quem si cognosceremus, admiraremur in toto quod horremus in parte: viae quas Divina providentia ingreditur, et media, quibus utitur, ab humano intellectu com-

prehendi minime possunt; sicut bestiae hominum consilia non assequuntur. Sed singulis occurramus.

238. Ad 1. mala omnia sunt vel *metaphysica*, vel *physica*, vel *moralia*. Metaphysica in eo sunt quod creata singula careant perfectione infinita: physica quae dolorem afferunt, metum, et tristitiam: moralia quae mores inquinant. Primi generis mala sunt defectus necessarii in rebus creatis, sed mala proprie non sunt. Mala secundi generis vel poenarum rationem habent, vel incitamenta sunt ad virtutem, vel suam habent in mundi systemate utilitatem, et ad gloriam Dei manifestandam inserviunt. Neque haec igitur proprie mala sunt. Mala moralia sunt finitae libertatis abusus. Haec quidem mala sunt; quorum tamen Deus auctor non est; sunt enim arbitrii nostri crimina, non naturae primordia. Sed cur Deus libertatem concessit hominibus? Quia bona est, atque voluit hominem animal esse particeps rationis, sine qua ipse homo praecellentissimis dotibus careret: quia voluit ipsum virtutem colere, qua praemium consequeretur iis legibus observatis, iisque subsidiis adhibitis, quibus ejus felicitati abunde consuluit: quia ita placuit ad manifestandas suas perfectiones.

239. Ad 2. generatim animadvertimus hanc malorum, bonorumque oeconomiam optime conciliari cum Divina providentia, posita vita futura, ut ostendimus in Psychologia. Quibus haec addimus 1. difficile est ferre judicium de hominum probitate, vel improbitate; saepe enim virtutem colunt, qui vitio addicti reputantur. 2. Improbis qualiscumque felicitas illa stat

magno pretio laniatuum conscientiae, cujus tranquillitate in adversis gaudent probi. 3. Innumera bona ex hoc conflictu oriuntur, haec potissimum: exercentur boni, qui puniuntur in hac vita pro peccatis, quibus omnino se carere nemo dicere potest: improbi inde habent, quod Divinam providentiam praedicent, quae vel eorum honestas actiones, quas fecerunt, praemio afficit in hac vita, ut scelerum poenas luant in altera; vel praestitis bonis eos, ut pater optimus, ad meliorem frugem allicit. - Quod addunt de inaequali bonorum distributione, refellimus animadvertentes a terrestribus usque ad coelestia, et a visibilibus usque ad invisibilia esse alia aliis bona meliora ad hoc inaequalia, ut essent omnia. Cuncta tamen suis locis posita aeque bona sunt (1).

240. Ad 3. Lex naturae moralis quoad prima, et

---

(1) « Placuit quippe Divinae providentiae praeparare imposterum bona justis, quibus non fruerentur injusti: et mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Ista vero temporalia » bona, et mala utrisque voluit esse communia, ut nec bona » cupidius appetantur, quae mali quoque habere cernuntur; nec » mala turpiter evitentur, quibus et boni plerumque afficiuntur » . . . . . . si Deus nunc omne peccatum plecteret poenâ, » nihil ultimo judicio servari putaretur . . . . . si nullum » peccatum nunc puniret, nulla esse providentia crederetur. Similiter in rebus secundis, si non eas Deus quibusdam petentibus evidentissima largitate concederet; non ad eum ista pertinere diceremus; itemque si omnibus eas petentibus daret, non » nisi propter talia praemia serviendum illi esse arbitraremur; » nec pios nos faceret talis servitus, sed potius cupidos, et avaros. » D. Augustinus de civ. Dei l. 1. c. 8 et 10.

*

universalia principia generatim omnibus ratione utentibus promulgata est; quoad conclusiones autem paulo remotiores ita sunt istae ad singulorum captum, et intelligentiae vim accommodatae, ut per rationem ipsam, secundum quam vivendum esse omnes norunt, manifestae fiant. At enim, sicuti sunt nisi applicationes universalium ad casus singulares, quae ratiocinando confici debent, magnis quandoque difficultatibus implicantur; sed si quis in his erret invincibiliter, error hic citra culpam non impediet finis consecutionem. Nihil igitur inde adversus Divinam providentiam. Qui uberius isthaec pertractata desideret, moralem Philosophiam adeat, atque etiam Theologiae doctores, qui illud quoque objectum diluunt inde petitum adversus Divinam providentiam, quod revelata Religio ad salutem necessaria, omnibus promulgata minime videatur; cujus, inquam, generis objectum refellunt, 1. ex eo quod post originis culpam non teneatur Deus homini extraordinariis subsidiis succurrere. 2. Quod in omnem terram exiverit Christianae Religionis sonus, quam alii repudiarunt, alii extingui passi sunt. 3. Quod si qui forte non audierint, hi non ob hanc rem puniendi sint, sed ob peccata contra naturae leges perpetrata, a quibus si quis esset immunis, futurum esset, ut Deus etiam per miraculum illi subveniret.

241. Ad 4. Si absolutam Dei potentiam spectamus, qua omnia efficere potest, quae contradictionem non involvunt, potest omnia mala tollere. Si vero potentia spectetur una cum sapientia, ceterisque morali-

bus attributis, tum non vult Deus mala tollere, quia non tenetur; quia hoc etiam modo gloriam suam manifestat, meliusque judicavit de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere; in mundi enim procreatione eam sibi praecipue pro fine praestituit perfectionum suarum moralium manifestationem, quae per actus creaturarum liberos, et moraliter honestos existit, eamdemque in ejus conservatione, atque gubernatione intendit, ad ipsamque omnis substantiae materialis dispositio, omnesque hujus mundi eventus tendunt.

242. Ex hactenus expositis principiis de Dei natura, et attributis, illud manifesto sequitur, esse ipsi praestandum cultum summi amoris, obsequii, et servitutis; nosque proinde uni, eidem supremo Numini Religionis obligatione devinctos esse, quae quum in natura Dei perfectissima, et essentiali creaturarum ab ipso dependentia fundetur, nullus hominum a suavissimo ejus jugo immunis esse potest, et per hanc solam dependentiam ad nostram felicitatem trahimur, et ad Deum principium omnium, et finem.

243. Atque hic absolvimus Metaphysicam nostram, in qua tria haec evolvimus cognitionis cujuscumque principia, videlicet *finitum*, *infinitum*, et inter utrumque *relationem*, quae Cousinius (1) appellat tria conscientiae nostrae elementa.

---

(1) Cours de l'histoire de la Philosophie, 6. leçon, 29 mai 1828.

INDEX

CAPUT V.

CAPUT VI.

INSTITUTIO SECUNDA.

De Metaphysica speciali

PARS PRIMA

SECTIO PRIMA

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT II.

CAPUT III.

V. PASIO Rev. Arch.

V. Accio P. et R.

Imprimatur
FERRARIS Moderator.